

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXVII (Fasc. I) — N. 157

M. MARTIO A. MCMLVII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: In Hispania et America, 50 ptarum.

In reliquis civitatibus, 65 ptarum, vel 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: In Hispania 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 **BARCELONA**
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVII (Fasc. I) N. 157

M. MARTIO A MCMLVII

G. BEACH, <i>Quo modo lingua Latina tradenda est</i>	1
A. GRISART, <i>De veris causis et maioribus et minoribus ob quas lingua Latina discenda est et de optimis viis et rationibus quibus in scholis mediis tradenda est</i>	8
AE. ORTH, <i>Lucretiana 1957</i>	17
J. MORABITO, <i>Laërtiades</i>	24
AVENARIUS-MIR; MIR-AVENARIUS, <i>Epistularum inter socios commer- cium</i>	29
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: De argentaria</i>	35
J. SIDERA, <i>Per orbem</i>	42
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	45
BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, I. González	47
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
SANSEGUNDO, <i>Linguam discito lingua</i>	53
KARIN HUBER, <i>Puella pulchra et puella foeda.</i>	54
SANZ-JIMENEZ, <i>De morte Curionis</i>	55
RAMON, <i>Theodosius</i>	56
PAEDAGOGUS, PABLO, CAMARERO, <i>Miscentes utile dulci...</i>	58
HERREROS, FORCANO, PUJOL, GIRONÉS, BERUETE, <i>Curiosa et jocosa</i>	60

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVII (FASC. I) – N. 157

M. MARTIO

A. MCMLVII

Quo modo lingua Latina tradenda est

Haec disputatio in Conventu Avennico¹ ab scriptore lecta est eoque probante et moderatore Conventus in Palaestra Latina editur.

Quirites:

Non mihi est in animo vitia commemorare quae nostrae disciplinae Americanae adhaerent, quae quidem multa magnaue sunt, neque ea quae vestris singulis, utpote quae mihi parum nota sint, quanquam non dubito quin satis multa, satis magna sint, nam, nisi singulis disciplinis inhaerent vitia ejus generis ut de vigore saluteque horum studiorum sollicitemini, curnam ille clarissimus Rector nos huc convocasset?

Inutile erat reapse haec commemorare. Sin autem remedia ad vires veteris optimaque disciplinae recuperandas et nomen existimationemque resarcienda invenire poterimus, eo ipso vitia elidentur.

Omittamus igitur querelas et remedia anquiramus. Licet primum rogare numquem hominum lateat linguam Latinam pro demortua haberi. Omnium igitur primum censeo hanc notionem pravissimam e mente hominum evellendam, extirpandam, funditus tollendam.

Lingua Latina enim profecto nullo modo demortua est. Non est sane sermo vulgaris, non in ore versatur rudis vulgi, sed apud doctos etiamnum vivit, quanquam, eheu! marcescens. In Ecclesia Catholica quoque vivit.

Num pro demortua haberi potest ulla lingua qua nihil non dici potest? Quid ergo? Num potest quidvis Latine dici? Immo vero et quidem multa quae non nullis hodiernis linguis dici non queunt. Cum, e.g. in Gentibus

1 Congrès International pour le Latin Vivant, 2-6 septembre 1956 · Avignon.

Unitis de tutela sive custodela populorum agrestiorum et gentibus fidei commissariis disputaretur, palam factum est aliquot linguas hodiernas vocabulis carere quibus tutela et fidei commissum declararentur, neque ipsos legatos scire quid hae res valerent. Latine autem haec declarari poterant. Quas tandem linguas pro demortuis, quas pro vivis haberi maxime convenit? Ergo censeo hanc pravam notionem e mente discipulorum necnon et parentum esse funditus tollendam.

Quos penes tandem est culpa hujus notionis commenticiae? Nos penes utique, qui inter nos neque commercio epistularum Latine scriptarum fruimur neque Latine colloquimur. Quid quod magistri linguarum hodiernarum, quandocumque conveniunt, eos qui eandem linguam profitentur, colloquendi gratia statim indagant et odorantur? Nostrates vero, quid in Europa moris sit nescio, de Americanis, loquor, Latine Loquentem effugiunt, a sermone cum eo serendo sese avertunt. Penes nos utique est culpa qui, cum nostram linguam ad usus hodiernos non adhibemus, tum devoti cultui unius aevi, illius Aurei dicti, ceteris omnino neglectis, discipulis pabulum praebemus a quo abhorreant. Sed de hac re postea.

Censeo igitur non modo oculos arte legendi verum etiam linguam arte loquendi auresque arte sermonis intellegendi erudiendas esse ut lingua discipulis viva videatur.

Praeterea ut notio prava hanc linguam esse demortuam e mente discipulorum tollatur, ne obliviscamur eos qui tenerae aetatis sunt ad plenioram vitam spectare atque a rebus mortem olentibus abhorrere. Recordemur simul eosdem ab inceptis quae oblectationem pollicentur nullis difficultatibus deterreri. Nos vero nostros puerulos miseros, uti supra dixi, pabulo pascimus quo nullum aliud illa aetate alienius esse possit, Caesaris Commentariis, ubi nihil reperiunt oblectamenti, nihil quod usui fructuique, quod sciant, certe non uberi, sit; nihil quod ad vitam hodiernam attineat; nihil quod ad confabulandum cum aequalibus aliove quoquam proficiat.

Aequum est hic dicere his Commentariis Noctes Atticas Auli Gellii, Historiam Romanam Eutropii, libros Nepotis de Viris Illustribus, Metamorphoses Ovidii, Fabellas Phaedri, aliorumve scripta substituere in America licere.

Quam saepe hoc fiat, pro certo non habeo.

Quae autem scripta patriam linguam discentibus praebemus? Primo, profecto, cantilenas numeris confectas quas memoriae facile mandent; deinde fabellas simplices; tum fabellas de mirabilibus facinoribus vel heroum vel eorum qui primi in terras incognitas penetrarunt; denique ad optimas litteras gradatim provehuntur. Praeterea haec singula genera scriptorum eo sermone composita sunt qui singulis aetatibus aptus sit. At quid si pro hac methodo considerata libri de rebus gravibus mandati essent ac pueruli jussi essent eos legendo haurire. Nonne eidem adulti ab omni scriptura abhorrent?

Nos autem primo, ut simul grammaticam, simul declinationes conjugationesque discant, hujus modi ineptias nugaeque promimus legendas: Virginia habet duas columbas. Virginia columbas amat. Amantne columbae Virginiam? Ab his ineptiis subito in Commentarios Caesaris immerguntur eo quod nemo alius tam pure, tam emendate scripserit. Sin autem rogitis num illum sermonem purum emandatamque tantidem aestiment quanti vellemus; num fructum optandum inde consequantur, maesto scilicet vultu negatur. Praeterea, quae verba his commentariis legendis discunt, ad sermocinandum cum quoquam sunt inutilia omnino.

Est et alia illecebra qua pueris persuadetur ut in studium linguae Latinae incumbant, non omnino fallax sed frivola: quod ex hoc studio evadas sermonis Anglici scientior! Hoc quisnam hominum dubitat? Quis ignorat? Quis negat? Neque dubitari potest quin ex hoc studio evadant discipuli cujusvis scientiores linguae. Rogitanti, cujus rei causa huic studio operam navare oporteat, respondeamus: in nullo alio studio tantum inesse fructus; per nullum aliud studium aequae elucere fontem originemque humanitatis nostrae; per nullum aliud studium aequae patescere quibus vinculis communitatis, quibus nexibus generis, fati sortisque nostri populi inter sese colligentur; ex nullo alio studio te tam bene institutum, tam idoneum ad aenigmata hodierna obeunda atque eluctanda evadere posse.

Ne plura: hisce diebus, cum rectores rerum publicarum occidentalium per ambages simultatum inveteratarum, per tenebras aenigmatum paene insolubilem ad partas ignorantia inimicitias sedandas atque pacem inter gentes firmam stabiliendam viam certam quaeritant, sapientissimi plane opus sunt. Ideo ego, quoniam omnes nostrae gentes originem humanitatis, civilitatis religionisque a Litteris Latinis et per easdem ducunt, opinor hanc viam facillime ab eis repertum iri qui consuetudine quadam disciplinae communis atque humanitatis quasi co-hereditariae conjuncti sunt. Ergo in hac sententia sto, neque dubito quin omnes mihi assentiamini, ut nostri pueri, quibus mox habenae nostras res publicas moderandi et regendi tradentur, hoc studio vel exquisitissime erudiantur oporteat, quo studio nullum aliud aequae proficit ad alias nostri mundi gentes intelligendas et nexus quibus eaedam inter sese devinciuntur explanandos. In sententia igitur sto ut pueri praestantissimi et patriae amantissimi et huic pro virili parte, serviendi cupidi vel exquisitissime erudiendi sint. Hae causae afferendae sunt cur in Litteras Latinas incumbant. Haec non mea solius sententia est, sed etiam multorum rectorum de societatibus anonymis maximis qui simul negant eos qui sola arte technica instituti sunt, capaces societatum illarum regendarum fieri posse, quia rem societatis in universum et in commune spectare nequeant, simul necessarias ad hunc finem ajunt esse litteras humaniores; item ex opibus suis illis universitatibus subsidio veniunt quae easdem imprimis fovent.

Quaenam tandem studia alia ac Litterae Latinae huic institutioni funda-

mentum substruere queunt firmitus? Has profecto solidas causas pro illecebris frivolis afferri oportet cur pueri sese his litteris dedant, qua suae patriae, qua sua ipsorum gratia.

Quam metam avide appetendam videamus quo modo contingamus. Ad pabulum igitur discipulorum redeamus. In scriptis Medii Aevi reperiuntur multae narrationes quas lubenter, immo lubentissimo animo pueruli vorant, nam ipsa narratiuncula, non stilus eos delectat. At dicunt eas fabellas stilo rudi confusoque, sermone deterrimo compositas esse. Confiteor. Verum, si licet, id quod fit, commentarios Caesaris rescribere ut facilliores lectu sint, qui quidem sic rescripti legentibus nihilo plus oblectamenti afferunt, neque jam Caesarini sunt, tum multo magis licet eis qui boni stili capaces sunt has tabellas jucundas ad hunc finem assumptas castigare et emendare. Sunt quoque novae fabellae. Ecce, e. g. *Pinoculus*, narratiuncula jucunda festivaque; quae in multas linguas jam conversa ubique gentium pueros delectat. Hic liber Latine redditus jam saepius editus est. Ecce, libellus, Anglice *Lively Latin* sive *Latinitas Vivax* inscriptus, ab amico meo, Johanne Andoverensi editus, qui pensis triginta adaptatus discipulos a simplicissimo sermone ad politioem provehit. Hunc libellum discipuli perhibentur sponte sua vorare. Sunt etiam multi alii id genus libri, praecipue in Anglia. Tales libri, mea quidem opinione, ad eum quem affectamus sive affectemus oportet finem spectant.

Erasmo vivo, pueri eo modo hac lingua instituebantur ut loqui scirent, non de oppidis expugnandis, non de hibernis, non de itineribus solito majoribus faciendis pabulandoque, verum de quibusvis rebus quae ad vitam suam pertinebant. Is enim praecipit ut quam maturrime discipuli loqui incipiant; ut magistri cum eis Latine quam optime, quam purissime loquantur atque locutiones exhibeant quibus inter ludendum, prandendum aliaque vitae cotidianae munera obeunda utantur. Hinc illius Colloquia quorum materia e vita cotidiana ducitur. De Terentio, quem existimat discipulis esse mandandum primum, haec dicit: inter Latinos quis utilior loquendi auctor quam Terentius, purus, tersus et cotidiano sermoni proximus, tum ipso quoque arguerenti genere jucundus adolescentiae? Animadvertite, Clarissimi, eum neque jucunditatem neque artem loquendi sprevisse.

Quid Commentius qui primus libellos tabulis pictis adornavit? Haec praecipit: discamus primo Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstrat artificia, adhibemus. Neuter quicquam de Caesaris Commentariis incit, saltem non praecipit ut primo legantur.

Alius, Petrus Mosellanus, dicit opus fore denuo repuerascere et, ut ait Flaccus, ludere par impar, equitare in harundine longa... et si quis est, qui vehementer putet has, sicuti prima fronte videntur, nugas in chartarum perniciem scribi, is mihi virum paulisper exuat et in puerum redeat cogitetque jam primum sibi Latini sermonis usum discendum.

Haec omnia et quidem amplius, si quis vult, e libello ante triennio a quodam Germano, Theodoro Herrle scripto, et *Lebendiges Latein* inscripto, discere potest.

Saeculo septimo decimo et duodevicesimo quoque, si quis vellet aulas Harvardianas frequentare, lingua Latina viva probabatur. Illis diebus non Caesaris Commentariis sed comoediis Terentii pascebantur atque aliis scriptoribus qui ad vitam illius temporis cotidianam magis minusve pertinebant. Postea, dum illas aulas colebant, longe lateque in Litteris Latinis, gravissimos optimosque scriptores legentes, palabantur. Illi pueri profecto nostris haud acriore ingenio praediti erant. Quod si verum est, possumus ad id Latinitatis pervenire quo illi, dummodo animos melle, non felle nutriamus, praeterquam quod jam nunc haec studia non tanti, quanti tunc, habentur atque alia, quae tum ignota, jam magni aestimantur, curriculum effarciunt.

Quid contra agitur? Multa profecto et varia. Ut primo scholas ab Ecclesia Catholica administratas tractemus eas adeo quae minime a disciplina vetere desciverunt, etiamsi non nihil aurae populari cedendum fuit. Ex his ad me discipuli ante omnes Litteris Latinis bene instituti veniunt. In Archidioecesi Hartfordiana, de aliis nihil scio, suadetur ut discipuli, ei quorum ingenium sufficiat, quattuor annos his litteris insumant. Stant enim in sententia discipulorum humanitatem, vita moribus Romanorum pernotis, augeri, eosdemque subtilitatis cujusdam ratiocinandi et animum in munera pensaque sedulo intendendi capaciores fieri; praeterea eos lingua Ecclesiae doctos ad missam intellegentiore animo accedere.

Ut ad hunc finem perveniatur per regulas grammaticas gradatim ducuntur; Latine scribunt; multum Latine, et multum Anglice de vita Romanorum legunt neque ars poetica neglegitur.

In scholis privatis, quae dicuntur, saltem in annosioribus famaue nobilioribus, haud longe a vetere disciplinae regimine descitum est, quamquam non omnes tam severe quam olim hac lingua exercentur. Inde meliores discipuli exeunt bene instituti. Parentes horum discipulorum fortasse, qui et ipsi, magna quidem ex parte, universitates frequentavere, non eatenus recusant quin filii his litteris operam dent tanquam a vita nostra alienis, quatenus multi parentes puerorum publicas scholas frequentium qui magnam partem bonis litteris minime dediti filios malunt utilibus, ut dicunt, rebus sese dedere.

In multis scholis publicis alia oratio est, nam non nulli administratores vel novis disciplinae rationibus inquinati vel multitudine obruti puerorum parum intellegentium et ad solas artes banausicas sive sellularias idoneorum, qui secundum leges usque ad annum sextum decimum, sive doctrinae capaces sive incapaces, manere debent, pro captu educandi sunt, linguis parum suffragantur. In multis scholis autem cursus duum, in paucioribus quattuor annorum conservatur.

In multis scholis magistri discis, taeniis tabellisque pictis utuntur. Prae-

terea discipuli multa usque rogantur. Ipsi clara voce respondent. Magistri dicunt hanc methodum discipulis placere nec male institutos evadere. Habentur quoque in aliquot universitatibus officinae aestivae, ubi magistri magistraeque ipsis Litteris Latinis et ipsa arte Latine recitandi loquendique exercentur, unde sane evadunt meliores scitioresque et ad animos erigendos discipulorumque studium excitandum peritiores.

In Anglia ubi multum sudoris a Societate Magistrorum Auxiliarium in curriculum emendandum infusum est, ubi quoque discipuli pariter atque alibi ad nova studia pelliciuntur, suadetur ut pueri annos undecim duodecimve nati ad haec studia introducantur qui omnes primo secundoque annis elementis linguae, sed non formis subtilioribus, erudiuntur; ut huic studio jucundi subjungantur libelli qui eos pedetemptim scriptorum difficiliorum legendorum capaces reddant; ut postea pueri ea ratione diribeantur quo longius citiusque acriora ingenia provehi possint, praesertim ea quae haec studia ad ultimum prosequuntur; ut qui in haec studia inter alia incumbunt quam maximum boni fructus consequantur; ut pueri mediocris indolis quantum fructus possint de ramis inferioribus decerpant; denique ut ei qui nihil consecuturi sunt summoveantur.

Porro suadetur ut non modo Anglice quam elegantissime locos lectos reddant, sed ut arte scribendi exercentur, et, dum haec agantur, recitando et ad ea Latine respondendo quae magister rogat, bene clareque pronuntiare discant. Ne versificatio quidem negligitur. Hoc autem pro certo haberi potest: scholas Anglicas multos parere qui per totam vitam in his litteris versantur et simul versus eleganter conscribere sciant.

Haec de disciplina Anglica. Argentinianam nunc tractemus, quatenus mihi nota sit. Hac de re ad amicum, nomine Gerardum Pagès, Bonis Auris habitantem, atque feliciter docentem scripsi, qui respondit:

Libris etiam utimur qui picturas continent, sed, quoad possum, verbo Romanorum usus explano. Imagines murales et photographicae projectiones de rebus Romanis perutiles sunt. Haec omnia adjutoria debent esse, nam, nisi fallor, «lectio priscorum primum ac praecipuum linguae est praesidium».

Quaeris nonne primum legant fabulas. Legunt assidue fabulas, at scholis accommodatas... Sunt nobis exercitationes jucundae quae animum puerorum excitant, ut Pinoculus... et Corocotta, Rex Latronum... His argumentis usus sum cum magno fructu, nam, ut illi Francogalli auctores dicunt: pupilli Litterarum Latinarum «invident condiscipulis suis, qui vel Anglorum vel Germanorum vel Italarum vel Hispanorum linguam discunt, quia ii opera ficta magnae delectationis possident, quae Litteris Latinis omnino desunt... Nam experientia docet multos discipulos ab eo studio abhorreere non tam propter difficultatem quam propter severitatem».

Haec ille. Nuper illud Collegium novas horum studiorum rationes edidit, quarum multa verba compendii faciam. Volunt discipulos ita opera Lati-

na legere scire ut cognitionem veram consequantur antiquae mentis et humanitatis quam Romani nobis legavere; grammaticae operam dare, non tanquam ipsa totus fructus sit studiorum, sed ut per ipsam vix sibi consciū rotam linguam complectantur ac litterarum fructum decerpant.

In Italia, mihi scribunt, dum pueri in Schola Media Lvcioque student, Litteris Latinis insumuntur anni octo, sive Litteris Humanioribus sive rei scientificae deserviunt, quanquam hi non pariter imbuuntur. Hoc tempore omnes fere scriptores praestantissimos legerint et arte scribendi penitus exercitati erunt.

Jam satis, reor, dixi ad argumentum scopumque hujus acroasis illustranda explicandaque. Cognovimus curricula non tam re quam numero scriptorum legendorum atque annorum in his studiis actorum discrepare: quo lingua vivacius inculcatur, eo melius profici; quo teneriore aetate pueri studia aggrediuntur, eo uberiores esse fructum. Ergo quid faciamus ut lingua viva et vivax in usum non modo doctorum sed etiam multorum hominum revocetur?

1. Censeo notionem hanc pravissimam: linguam Latinam demortuam esse, e mente magistrorum, parentum, discipulorum, uno verbo, uniuscujusque et universorum evellendam, extirpandam, funditus tollendam;

2. Censeo, ut hujus voti compotes simus, ratione studiorum arida atque e vita aliena supersedendum et jucundiores gratioresque methodi Erasmi haud dissimilem instituendam esse;

3. Censeo eisdem methodis docendi utendum quibus magistri in linguis hodiernis tradendis utuntur, ut haec nostra lingua discipulis tam viva, tam vivax obiciatur quam linguae hodiernae;

4. Censeo discipulos quam tenerrima aetate acceptos, eo modo, qui aetati maxime idoneus sit, elementis sermonis vivi erudiendos atque pariter ut adolescent, severius arte grammatica, arte scribendi loquendique instituendos ut pedetemptim ad scriptores optimos adducantur, neve a methodo linguarum hodiernarum desciscatur;

5. Censeo peritis Latine scribendi persuadendum ut vel fabulas e scriptis Medii Aevi excerptas in sermonem elegantem redigant vel fabulas recentes convertant vel novas conscribant festivas jucundasque;

6. Censeo magistros Linguae Litterarumque Latinarum hortandos, immo admonendos ut quam saepissime ipsi inter sese Latine scribant et colloquantur ut lingua et sibi ipsis et discipulis viva esse videatur;

7. Censeo ut nos moribus delicatis conquerendi exutis et cestus induti ad hostes nostros, obtrectatores hujus disciplinae quae olim caliginem ignorantiae corde hominum excussit, qua una juvenes ad aenigmata hujus aevi resolvenda instituuntur profligandos prodeamus;

8. Censeo denique ut acta hujus Congressus in omnes partes orbis terrarum disseminentur et divulgentur.

Dixi.

GOODWINUS BEACH

De veris causis et majoribus et minoribus ob quas lingua Latina discenda est et de optimis viis et rationibus quibus in scholis mediis tradenda est

Haec disputatio in Conventu Avennico¹ ab scriptore lecta est, eoque probante et Moderatore Conventus in PALAESTRA LATINA editur.

Ad te, benevole lector, mihi in animo est sermone Latino loqui non ita purissimo, quali Cicero ille utebatur, sed potius simplicissimo, quem ego hoc tantum consilio adhibiturus sum ut vocabula sententiasque meas tu plane et commode *sine glossario* intellegere possis, etiamsi a puero nihil jam Latinum legisti praeter id fortasse quod die dominica interdum tibi in oculos incurrit ex eo libro cui nomen inditum est «Missale et Vesperale Romanum».

Ceterum hac disputatione id quoque prosequor ut eo ipso exemplo tibi persuadeas quam facile et utile ad omnia disserenda linguam tu quoque usurpare possis Latinam: ciceroniano tamen, quantum potero, hic usus sum sermone, quia ad propositum meum ille peridoneus et perlucidus esse mihi quidem visus est. Verum etiam in univrsam aptissimae apparent Latinae illae litterae et imprimis lingua ipsa Romanorum ad cunctas *animi facultates* parandas et augendas quas unicuique hominum, in quolibet genere industriae vel negotii vel muneris vel officii, necessarias esse vulgo et palam conceditur, id est *recte et bene et pulchre* vel *juste et honeste et pure loqui et cogitare et agere*, ita ut clarissimum illud Juvenalis dictum, poëtae Latini notissimi, perfectissime conficiatur «*mens sana in corpore sano*» vel alia quoque huic vicina sententia, quae Gallici sane scriptoris est, Romanorum tamen cognitoris peritissimi et, ut ita dicam, plenissimi, cui nomen Latine «Montanus» erat: «*caput non ita plenum, sed bene factum*».

Hoc enim potissimum, iudicio quidem meo, maxima cum cura perquirendum est non dico in summis scholis quae proprie «universitates» vocantur, sed in iis saltem scholis mediis quae Latino verbo «collegia», Graecis autem saepius «gymnasia» vel «lycea» vel «athenaea» nominari solent. Ea autem scholarum mediarum causa et intentio, jam inde ab eo saeculo quod «Renascentis Antiquitatis» appellatur, justissimo quodam verbo exprimitur: puerum «*humantorem*» facere, id est «*hominem*» verum, omnibus et cunctis «*humanis*», virtutibus praeditum et ornatum: quapropter haec ipsa studia hodie quoque «*humaniora*» apud Germanos et Batavos, «*humanitates*» apud Gal-

1 Congrès International pour le Latin vivant, 2-6 septembre 1956 — Avignon.

los et Belgas insignibus nominibus nuncupantur et laudantur. Est quidem et ad hanc laudem aliud quoque nomen, quod, etsi proprie Germanicum est, aliquid tamen Latini et in ipso vocabulo et in ultima terminatione retinet et fere Latinum sonat, id est «*Humanismus*»; verum hoc verbum ab alio nomine accuratissime discernendum est quod item simul proprie Germanicum est et quasi Latinum videtur, id est «*Antiquarismus*».

Namque litterae Latinae et Graecae non propter vetustatem, sed ob vires proprias discuntur *neque antiquitatis causa sed humanitatis gratia in humanioribus saltem studiis* adhibendae sunt vel potius, sicut ego quidem dicere malo, *exercendae et alendae et excolendae*. Re vera, sicut *agri fit cultura*, ita *hominis* quoque faciendus est *cultus*; itidem, ut humus vel terra, priusquam seratur et metatur, diu et patienter aranda et fodienda et occanda et stercoranda et aliis modis subigenda est, sic puer leniter et paulatim praeparandus est donec homo verus efficiatur. *Puerum* autem Romani aliter ac nos inde a septimo anno usque ad decimum septimum vocabant, adulescentem vero a decimo septimo ad tricesimum, adulescentulum autem fere inter duodeviginti et viginti annos natum.

Hic ergo «*puer*» a parentibus et a magistris erudiendus et edocendus est, ita tamen, mea quidem sententia, ut non *edoctus* tantum fiat adulescentulus, sed potius *educatus*, id est nec tam *doctus* quam *peritus* nec tam *eruditus* quam *capax*. Praeterea ejus magistris id praecipue et maxime persequendum est non tam quod puero in hisce diebus placet quam quod hominis in perpetuum intererit nec tam quod hic et nunc praesentem puerum juvat et voluptate allicit et fortasse seducit, id est a recta cogitandi et agendi via ducit, quam quod semper et ubique futurum adultum adjuvabit et utilitate delectabit et certo firmabit. Puero igitur non tam *sciendum* est quam *discendum* quo scilicet modo ipse postea per se cognoscere possit et sciat: quamobrem docendus est puer non tam *scientiam* vel doctrinam quam *disciplinam* vel rationem quaerendi et viam discendi scientiam ipsam et veritatem tum demum cum ad id ipsum satis maturus et paratus factus erit. Sic jam sapientissimus ille philosophus cui nomen fuit Kantius suadere conatus est: «*docere non sententias, sed rationem sentiendi; discipulum autem non ferre, sed ducere, si vis eum postea per se ingredi posse*»: pueris enim scholas et classes, ut ita dicam, non *bibliothecas* esse oportet, sed vera «*gymnasia*», id est loca ubi cunctae et diversae virtutes humanae vel corporis vel animae exercentur et alantur et colantur.

Hoc igitur *primum*, ut equidem arbitror, *officium* in humanioribus studiis praestandum explendumque ei magistro est cui nomen Graeci primo, Romani postea indiderunt «*grammatico*», id est «*poëtarum interpreti*»: ut *puer* quem parentes ei educandum commiserunt *adulescentulus* efficiatur quam maxime *absolutus et perfectus* et tandem *homo* verus fiat, id est completus et aequelibratus, in quo virtutes humanae ita bene congruant ut ejus animus *aequus*

sit, id est simul justus et sanus; hoc autem *humanarum virtutum in anima aequilibrium* maximus effectus et optimus fructus earum *disciplinarum* esse mihi videtur quae omnes simul ad eam artem et scientiam pertinent quam nos *educationem* vocamus, Romani vero et *institutionem* libentius nominabant, ut illustrissima testatur illa Quintiliani «Institutio oratoria».

Quae duo nomina summo jure mediis scholis dari possunt. Nam primo puer vere *educendus* est, id est ducendus e pueritia ad adolescentiam, ita tamen ut quam justissimis et securissimis et secundissimis viis rationibusque proximus efficiatur homini adulto satis perfecto; deinde puer vere *instituendus* est vel *instruendus*, id est *exstruendus* vel *construendus*. Etenim *instituere* e verbo «statuere» compositum est; ambo autem a verbo «stare» ducta sunt et idem significant ac «instruere»; denique *instituere* et *instruere* Latine quidem simul et de domibus et de hominibus dicuntur: sicut ergo domus, cum aedificata sit, stabilis est et ad caelum elata, sic puer, cum institutus sit, per ipsum stat et exurgit ad humanitatem excultus, id est ad hominem vere confectum: hunc ideo hominem eodem plane modo *formandum et firmandum* esse Romani censebant quo turris in altum erecta quae in solidis fundamentis nixa et fulta est; haec autem fundamenta in turri substructiones dicuntur, in homine virtutes; quapropter *homo* perfectus a Romanis *vir* appellabatur: re enim ipsa *virtus* a *viro* ducta est, propterea quod *virtus* est proprie *hominis* qualitas; itaque homo in omni genere *virtutum* perfectissimus jure et merito *humanissimus* dici potest et ideo *puer* quoque *humanioribus studiis quam humanissimus adolescens* efficiendus est; ceterum apud Romanos verba *cultus* et *humanitas* saepissime conjuncta sunt.

Puer vero (puella quoque et femina ipsa adulta, etsi nunquam ejus rei conscia est, sic agere naturaliter consuevit) nondum omnino sic *ratiocinari* potest ut adultus homo vel adolescens vel etiam adolescentulus: sentit enim puer sensibus et imaginibus magis et potius quam re vera cogitet, id est ratione utatur. Ratio tamen vel intellegentia proprium est hominis et praecipue viri: discipulo igitur, id est puero instituendo, *primum et maximum* opus et onus et munus et officium est id praesertim discere: *rationaliter cogitare* ita ut per totam vitam recte et bene et pulchre putet et sentiat et velit et agat et dicat. Verum enimvero hic maximus et optimus fructus totius vitae non comparari potest nisi magnis et frequentibus ac variis et iteratis exercitationibus, quae per multos annos, leniter et paulatim, ducibus grammaticis, in scholis mediis, praecipue in humanioribus studiis, *virtutes exerceant et alant et colant*.

Quorum humaniorum studiorum cunctis sane disciplinis is rationis usus et experientia comparatur, sed maxime et optime quattuor disciplinis quae conjunctim et summatim *scientiae et litterae* vocantur: inter quas vero scientiarum duo praesertim genera ad puerorum institutionem super cetera excellentissima ducuntur et sic distinguuntur: scientiae vel mathematicae vel natu-

rales; litterae item sic dividuntur: vel antiquae vel novae, id est linguae et auctores vel veteres vel recentiores, quorum antiqui optimo jure praecipuum occupant locum in gymnasiis. Omnibus certe disciplinis et praesertim his quattuor commune est consilium hoc quod jam dixi: adolescentulum cunctis humanis virtutibus aequaliter praeditum efficere; cujusque tamen earum est suus quidam proprius fructus et sua propria ars, quam ea disciplina exercet et alit: nam scientiae quae dicuntur *mathematicae* artem docent *argumentandi dialectice in abstracto*, id est secundum rectam et justam disserendi rationem et normas vel regulas sanae intelligentiae; *naturales* autem scientiae artem docent *observandi distincte objectas res*, id est secundum objectam rem ipsam observatam, non secundum sensus vel imagines subjecti hominis, id est observantis, praeterea duae hae animi facultates inter se diversae, sed inter se additiciae quoque sunt. Item inter litterarias disciplinas duae imprimis ad pueros educandos majores et meliores existimandae sunt et, quasi ut in scientiis mathematicae et naturales, sic inter se angustius quam ceterae cohaerent, antiquae scilicet litterae: *Latinae* enim artem docent *cogitandi clare et dilucide*, id est perspicue et diserte; *Graecae* autem artem docent *disputandi ingeniose et sagaciter*, id est sollerter et versute vel modo habili et flexibili et ad diversas rerum et hominum condiciones aptissima.

Quae omnia melius fortasse et brevius certo sic exprimi possunt: *mentem humanam efficiunt scientiae mathematicae rectam et prudentem, naturales sinceram et veridicam, litterae autem Latinae contractam et conglobatam, Graecae agilem et flexibilem*. Quae omnes mentis habitus vel animi virtutes dissimiles profecto sunt et forsitan etiam inter se contrariae quibusdam videbuntur; attamen compensandae quoque inter se sine ullo dubio sunt ut hominem aequè libratum et perfectum producant, ad quaslibet scientias vel artes humanas aptum et idoneum: quamobrem eadem etiam in puero educando vel construendo conjunctim et aequaliter addendae et alendae sunt ita ut adolescentulum *unum et verum* efficiant. Disciplinae enim illae quae *scientiae* dicuntur eam mentis speciem formant et firmant quam *geometricam* vocant, id est logicam; *litterae* autem eam quam *subtilem* vocant, id est acutam. Porro nec geometrica una nec subtilis una, sed tantum ambo congregatae hominem perfectum fingere valent, quem Romani virum appellabant, ut jam excellentissime comprobavit Gallus quidam illustrissimus, simul et scientiis et litteris eximius, cui nomen fuit Latine Blasius Paschalis.

Praeterea nemo est qui nesciat quam anguste inter se *cogitare* et *dicere* naturaliter colligata sint: namque *sententiae* et *verba*, vel, ut melius et acutius Romani loquebantur, *ratio* et *oratio* sic vicissim inter se perfundunt ut eodem modo et simul aut rectae et bonae et pulchrae laudentur aut deviae et turpes et deformes reputentur. *Antiquorum* vero auctorum, id est scriptorum et artificum, *ratio* et *oratio* super ceteras praecellentes habendae sunt, quoniam *novorum* etiam auctorum ex omnibus temporibus et regionibus optimi et maximi

antiquos illos auctores tamquam *magistros* et cogitandi et dicendi sibi sumpserunt et eorum opera tamquam *exemplaria* ad suas ipsorum inventiones fingendas imitanda se elegisse confessi sunt eo scilicet consilio ut ab illis antiquis artem et disciplinam cognoscerent qua rectissime ea cogitarent quae disputare vellent et optime ea dicerent quae exprimere cuperent.

Ergo, ut omnia *summatim et breviter contraham* quae adhuc dixi, educandorum vel construendorum puerorum causa et intentio *maxima et optima* et omnium disciplinarum communis, in humanioribus quidem studiis, ita definienda est: non *acquirere COGNITIONES speciaris et appositas quae statim et in praesens tempus puero vel adulescentulo proficere possint, sed potius conquirere VIRTUTES generales et additicias quae constanter et ad omnia tempora adulescenti et praecipue adulto viro re vera servient*. Nam cognitiones et notitias, quantumvis in iis memoria exerceatur, homo multo brevius et facilius obliviscetur quam didicit; virtutes autem, dummodo longo illarum disciplinarum usu et consuetudine eas sibi adstrictas reddiderit, fideles et dociles servas habebit: quapropter Gallus quidam eruditissimus, cui nomen est Eduardus Herriot, sic praedicare ausus est: «*hominis cultura est id quod restat cum omnia oblitus est*».

→ Quid restat? Virtutes.

Virtutes igitur et habitus mentis et animi et animae sunt re vera, ut initio praedixeram, *maximi fructus et optimi effectus* earum maxime disciplinarum quae ad *antiquas* litteras linguasque auctoresque pertinent. Sunt tamen *et aliae virtutes* et reliqui fructus eorum *antiquorum* studiorum; notiores etiam et clariores hae novae causae et intentiones sunt quam eae quas ipse adhuc exposui, minores tamen et minus effectrices, meo quidem iudicio, ad pueros formandos et firmandos, in iis saltem scholis mediis quas humanitatum nomine iustissimo nuncupare consuevi et quantum ad virtutes adipiscendas pertineat.

Quarum minorum intentionum vel fructuum duae hae praecipue ducendae sunt: primum tantorum et tot *virorum doctrinae et artes*, deinde tantarum et tam pulchrarum *nationum*, quae nostris ipsorum majoribus et dominae et magistrae fuerunt, *sententiae et mores, monumenta et origines, instituta et societates, historia et modus vivendi agendique sentiendique*

Quae omnes *notitiae vel cognitiones* non homini solum, sed etiam puero delectationem sane et utilitatem maximam praebent ad alios melius cognoscendos et ad se ipsum optime perspiciendum, tanto magis quod earum nationum historia re vera nostrae ipsorum historiae initium est, siquidem majorum nostrorum duces et institutores facti sunt antiqui illi populi, et deinde quod, ut exemplum ponam, «*aëria navis*» quae abhinc annos vix 25 constructa est minus «*nova*» et «*recens*» apparet quam Graeculi cuiusdam sententia quae abhinc annos jam 2500 dicta est. Quae tamen mirae *notitiae*, ut cognitiones, facilius, quamquam levius, *in translationibus* disci possunt, id est cum in nostras ipsorum linguas recentes versae sunt, vel *per libellos*, in re-

centioribus quoque sermonibus redactos, ab eruditissimis peritissimisque sapientibus *breviter contractos*, quos pueri commodius legunt et sciunt quam cum haec omnia Latine et Graece iis discenda sunt: hoc enim a multis saeculis in Scripturis et Evangeliiis optime experti sumus, quoniam haec sine ulla notione vel Hebraici vel Graeci vel etiam Latini sermonis satis facile etiam infantes edidicerunt et perfecte noverunt. Ergo *ad* haec omnia *cognoscenda* quae in litteris Graecis et Latinis amoenissima et excultissima sunt neque necesse neque opus esse neque ideo oportere videtur tot annos et tantis laboribus duas arduas *linguas* perdiscere, quas tamen omni modo oblituri sunt discipuli etiam optimi.

Deinde ad haec eadem discenda non magistri jam opus sunt, sed solum boni libri a doctissimis et peritissimis compositi, cum ad virtutes adipiscendas et exercendas magister peritissimus maximum opus sit.

Denique, ut jam antea probavi, non antiquitatis causa, sed humanitatis gratia litterae et linguae colendae sunt antiquae in humanioribus studiis; at contra, si *antiquitatis cognitio* gymnasiorum *maxima* causa et intentio et *suprema lex* Graecarum et Latinarum quidem litterarum in iisdem ipsis gymnasiis discendarum tradendarumque decerneretur, non hic jam «*Humanismus*» esset, verum «*Antiquarismus*», id est species aliqua antiqua vel «color localis et temporalis». Hunc sane duplicem colorem antiquum, sicut in quibuslibet litteris etiam recentioribus et recentissimis, lucide perspicere opportunitatem quandam affert ut antiquos auctores puer melius et penitior modo legat et intellegat; color tamen is antiquus neque res *maximi* momenti censi neque *maximus* fructus et *prima* intentio existimari potest *humaniorum* quidem studiorum: namque in Antiquitate neque id quod *antiquum* est neque id quod *novum* est puero in schola et viro in vita accuratissime discendum et *maximi* pretii habendum est, sed id quod *humanum* est et ideo per omnia saecula permanet et perpetuum dici potest et simul semper verum et constanter novum judicari, sicut, exempli gratia, Socratis sententia. Id ergo per maximos vero conatus sed et maximo fructui prosequendum est quod Menander primo Graece, Terentius postea Latine sic expressit: «*HOMO sum: HUMANI nihil a me alienum puto*».

Secunda intentio antiquarum litterarum discendarum quae frequenter tamquam maxima et optima laudatur est quod linguae illae recentioribus sermonibus plurima vocabula praebuerunt, praesertim in scientiis et in artibus. Quod imprimis et iis linguis contenditur quae etiam nunc «*Romanae*» appellantur, ut Italica, Hispanica, aliae quoque, et maxime Gallica, cujus scriptores et artifices cuncti Latinos et Graecos maxime et optime imitati sunt. Attamen, re vera, si jam antea didicerint pueri quid ea vocabula sub recentiore forma in *sua* ipsorum lingua significant, nulla erit causa; cur tot annos et tantis laboribus defatigentur ut tandem id cognoscant quid in *Latina* vel *Graeca* quoque lingua haec ipsa vocabula significant. Scio equidem Galli-

cam certe linguam facilius et melius et penitioe modo a puero, praesertim a Gallo, comprehensum iri, si puer Latinam et Graecam vel simul ediscet vel antea perdidicerit; verum, si *Latinae* linguae eo *maxime* consilio opera danda esset ut *Gallicam* melius puer nosceret et perscrutaretur, nonne melius et commodius esset *Gallicam* modo ipsam discere et ob id ipsum tot horas quae in scholis mediis *Latino* sermoni conceduntur *Galliae* potius tribuere linguae vel *Gallicis* reservare litteris, ut has puer optime et maxime perdiscat et ediscat solas?

Id deinde addendum est quod linguae Gallicae et Italicae et Hispanicae et ceterarum quae Romanae dicuntur linguarum vocabula multa, si non plurima, ex talibus Latinis et Graecis verbis pendent qualia numquam in eis libris adhibentur quos pueri in scholis mediis legunt, sed solum in titulis et in raris libellis occurrunt ubi ea sapientium eruditissimi difficillimis investigationibus reppererunt. Haec enim verba non in *urbana* illa lingua Romana usurpantur, cuius Cicero et Caesar in prosa oratione, Vergilius et Horatius in poësi optimi et maximi auctores semper habiti sunt, sed in *rustica* ista lingua Romana vel potius in eo *populari* vel *vulgari* vel *plebejo* sermone adhibentur quem apud servos in usu fuisse ex Plauto et Petronio apparet: ita, exempli gratia, quem Cicero «equum» vocare solebat, eum plebs «caballum» dicitare assuefacta erat; quod deinceps Caesar «caput» appellare consueverat, eam illius milites «testam» cognominabant: inde haec duo vocabula, per id tempus parum cognitum quod «Medium Aevum» jamdiu nominatum est usque ad nostras ipsorum linguas perducta et corrupta, recentioribus linguis ea verba praebuerunt quae Gallico sermone «cheval» et «tête» dicuntur et in aliis similia. His igitur vulgaribus vel popularibus vel plebejis vocabulis quoque et majore etiam studio quam urbanis verbis linguae Latinae et Graecae opera danda certo esset, si re vera puero Gallica perdiscenda esset lingua, dum Latinam ediscit, id est si Latinam eo *maxime* consilio puer doceretur ut Gallicam perscrutaretur.

Denique Germani et Batavi et Saxones et Angli et ceteri populi qui ab iis nationibus orti sunt et quorum linguae neque a Latina neque a Graeca pendent, sed vel a Germanicis vel a Celticis vel a Saxonis sermonibus fluxerunt et ceteri quoque in orbe terrarum populi non jam ad suas ipsorum linguas perdiscendas vel ad Gallicam perdiscendam linguam Latinum ediscunt sermonem: itaque ea secunda quae maxima et optima dicitur causa et intentio Latinam linguam discendi nec universa nec ideo prima dicenda vel ducenda est.

Quae ergo omnes causae et intentiones, quamvis utiles et magnae et bonae sint, non tamen utilissimae et maximae et optimae sunt: ideo partes eis ludendae sunt, ut ita dicam, secundariae, quamquam satis praeclarae, in ludo quidem *grammatici*; postremo his omnibus quas minores esse contendit causis hoc vitium est commune quod neque una neque cunctae simul suffi-

ciunt ut tot horas per tot annos comprobare valeant per quas Romanorum non modo litteris sed etiam praecipue linguae operam dant discipuli in scholis mediis; at, si causa et intentio *maxima* est non discere Latine loqui vel Gallice melius loqui vel vetustatem noscere, sed virtutes animi formare et firmare. non sufficientes etiam apparebunt tot horae ad eam artem exercendam, siquidem inde a temporibus Renascentis Antiquitatis, cum condita sunt illa humaniora studia, semper pauciores paucioresque horae istae factae sunt.

Non me, ut grammaticum, praeterit nec fallit multos etiam Latinos inter grammaticos me vituperaturos esse tamquam «conservatorem», qui temporis meo nullo modo adaptari possim, quippe qui rationes et vias quibus recentiores traduntur hodie sermones ad Latinam discendam linguam neque optimas neque etiam revera idoneas esse existimem. Verum enimvero recentiores sermones, qui hisce diebus dicuntur et scribuntur, ob ipsos sermones perdiscendos et recte et perfecte et pulchre legendos et discendos et scribendos summo jure traduntur, quia ipsis suae propriae probationes et defensiones sunt: discuntur enim ut legantur et dicantur et scribantur. Non ita de Latina et Graeca lingua: non ob ipsam et pro ipsa unaquaeque harum discitur, et traditur, sed ad adolescentulos instituendos sicut hac tota disputatione ostendi, id est non ut ipsae perfectissime noscantur, sed ut per eas pueri perfectissime formentur et firmentur.

Praeterea, mehercle, «conservare» Latino quidem grammatico non vitium est, quod sciam; quin etiam immo officium proprium est et munus optimum et honos maximus, siquidem id servat quod humanissimum et optimum et maximum est tantarum et tot rerum et sententiarum quibus nullas umquam veriores et utiliores et politiores et pulchriores conceperunt homines cujusvis temporis vel regionis, id scilicet depositum quod nobis custodiendum tradiderunt antiqui illi, majores ipsi majorum nostrorum, quod saltem ad cultum et humanitatem pertineat.

Quid enim a nobis «servari» et potest et debet majus vel melius vel pulchrius quam antiqui auctores et litterae et ipsa lingua, ubi quidquid *humanum* est maxime et optime exprimitur, sicut satis adhuc probavi? *Quis* deinde ea omnia «servare» et potest et debet nisi Latinus ipse grammaticus, quippe qui testis et, ut ita dicam, fautor Latinorum scriptorum et artificum existimandus sit? *Quo* denique *modo* is ea «servare» potest et debet nisi antiquis illis rationibus et viis quae inde ab antiquis ipsis per grammaticos traditae sunt et quibus majores illi clarissimi, a Graecis eruditi et formati, et ipse grammaticus hodiernis quoque temporibus ad humanitatem edoctus et educatus est et ipsam Latinam perdidit et edidit linguam?

Hoc enim numquam obliviscendum mihi videtur grammatico in munere exercendo: non ipse «auctor» est pueris, sed tantum *testis* et *fautor* et *interpres* Latinorum auctorum et Graecorum: *non suae* ipsius igitur sententiae *per antiquorum* auctores litterasque linguamque pueris tradendae sunt, *sed antiquo-*

rum ipsorum sententiae et artes aperiendae et explicandae sunt: *ii* demum «*dii*» esse debent, ipse vero *grammaticus* illorum deorum tantum *initiator* et sacerdos et, si ita loqui audeam, tamquam sacrorum mysteriorum «*hierophantes*», quibus mysteriis pueri mens virginalis divini cujusdam auctoris complexu fecundatur et ingenium transmissum ipsa suum proprium efficit; quod tamen grammatici munus, quamvis difficillimum et periculosissimum sit, non tamen onus deterrimum, sed honos quasi divinus existimandus mihi videtur.

Hac ego disputatione tamquam grammaticus de his quaestionibus disserui «*quas ob causas et quibus rationibus lingua Latina in scholis illis mediis quas summo jure Humanitatum nomine nuncupare solemus, discenda et tradenda sit*». Restat nunc ut rhetor aliquis me doctior tibi, benevole lector, id quoque persuadeat quam commode lingua Latina non jam in puerorum scholis, sed et in sapientium et artificum conventibus et libris usurpari et possit et debeat, non modo philologorum et jurisconsultorum et in universo scholasticorum, sed et medicorum et pharmacopolarum ac machinatorum et munitorum vel etiam negotiatorum quoque et maxime politicorum, ita ut una lingua et anima cuncti homines eandem hominis culturam accipiant et eundem cultum atque humanitatem aestiment et sic unanimes, ut Romanus quidam excellentissime dixit, «*idem velle, idem nolle*» re vera possint, quae «*demum firma amicitia est*» et hominum et nationum.

ALBERTUS GRISART

Dr. Albertus Grisart est ab actis societatis *Association des Classiques de l'Université de Liège* et *Association Nationale des Professeurs de grec et de latin*.

HUJUS FASCICULI ERRATA CORRIGE:

pg. 9	lin. 29	pro <i>dodendus</i>	–	<i>docendus</i>
pg 13	lin. 37	pro <i>et</i>	–	<i>de</i>
pg. 16	lin. 14	pro <i>universo</i>	–	<i>universum</i>

LUCRETIANA 1957

Versus Lucretii postquam denuo lectitavi, novas eorum explicationes lectoribus offero.

1, 66-67: de vita et doctrina philosophica Epicuri in illis versibus ita agitur;

66: «primum Graius homo mortalis tollere contra

67: est oculos ausus primusque obsistere *coram*».

In fine versus 67 rectum «*coram*» pro falso «*contra*» institui; nam hos versiculos eadem voce «*contra*» desiisse nemo artis poëticae peritus credere potest; «*coram*» primum a Lucretio ipso positum est; scriba illam vocem abbreviatione pro «*m*» finali utens ita scripsit «*corā*»: sed linea longa a littera «*a*» ad litteram «*r*» (*coṛa*) perperam supra posita est, quae scriptio falsa (*coṛa*) a librario in adverbium «*contra*» conversa est, praesertim cum idem «*contra*» adverbium in versu superiore praecederet. Sed «*corani*» hac ratione explicari potest: in versu 66 Epicurus mortales oculos contra deos immortales tollere ausus est; ibi summo jure «*contra*» adhibitum est; in versu 67 autem idem adverbium «*contra*» repetere superfluum est, quia verbo «*obsistere*» ille sensus resistendi per syllabam praefixam «*ob-*» satis perspicue exprimitur; si versu 66 Epicuri status *deis* contrarius est pronuntiatus, proximo versu 67 ejusdem Epicuri positio adversus *homines* exprimenda erat; propterea Lucretius duo verba diversa («*tollere*» 66 et «*obsistere*» 67) ad duas res distinguendas adhibuit; ad verbum «*obsistere*» vs. 67 etiam «*coram*» adnecti debebat; nam illud «*coram*» significat idem ac «*palam*», id est: ante oculos hominum; «*coram*» nunquam ad deos referri poterat; Lucretius vero Epicurum ita laudavit, ut versibus 66 et 67 duplicem philosophi Graeci fortitudinem animi ostenderet: «*contra*» deos et «*coram*» hominibus; hoc modo illa tam absona tautologia adverbii «*contra*» remota est, quae non est epiphora; poëta «*coram*» etiam in fine versus I, 134 et IV, 1102 usurpavit.

Epicurus porro non erat primus e Graecis qui deorum potentiae sese opponeret; immo jam Protagoras Abderita et Theodorus Cyrenaeus deis adversabantur; itaque Lucretius recte I, 66 scripsit «*primum*» id est genitivus pluralis contractus pro forma «*primorum*», genitivus partitivus pro locutione: «*inter primos*»; etiam hic ordo excellens inter primos Graeciae sapientes est maxima laus Epicuri hymno Lucretii enuntiata.

Hac igitur argumentatione pessimam scripturam I, 67 alterius «*contra*» refutantes postremo rectissimam dictionem «*coram*» restituimus.

1, 469: «namque alid aeternis aliud regionibus ipsis
470 eventum dici poterit quodcumque erit actum».

Ita legatur 1, 469 oportet, quamquam omnes codices hanc formam exhibent 469: «namque aliud terris, aliud...», quae lectio sensu caret; nam «terris» idem ac «regionibus» significat; sed «aliud-aliud» diversas res postulant; error autem in voce «terris» latet, qui sic evasisse videtur: primo poëta scripsit «namque alid aeternis, aliud regionibus ipsis...» aeterna enim ad tempus (categoriaм τῷ ποτέ), regiones autem ad locum (spatium, categoriaм τοῦ που) pertinent; librarius quidam non «alid», sed «aliud» respondens secundo «aliud» posuit, ut «aeternis» non jam in metrum hexametrum quadraret; propterea scriba vocem «aeternis» in «ternis» mutilavit, quam formam ineptam tandem in «terris» propter proximum vocabulum «regionibus» mutavit; via igitur corruptionis ita processisse videtur: 1. alid aeternis; 2. aliud ternis; 3. aliud terris. Exigitur contra ea vox, qua tempus praeteritum indicatur; nam 1, 468 antecessit jam «praeterita aetas», quae sequenti versu 1, 469 cum «regionibus» comparatur; etenim «aeterna» et «regiones» sunt accidentia quae Lucretius «eventa» vocat, rerum gestarum; ergo illa eventa sunt diversa συμβεβηκότα (ποτέ = χρόνος = aeterna, per figuram synecdochae, et που = χῶραι = regiones). «Alid» jam codex Gottorpensis scripsit. Postremo igitur ita scribendus est versus 1, 469: «namque alid aeternis, aliud regionibus ipsis...

1, 644: legitur in fine «sonore», quae vox admirationem movet etsi ab omnibus editoribus accipitur, tamen obtineri non potest: sententia Heracliti de igne sive de elemento mundi primario refutata etiam elocutio ejusdem philosophi breviter existimatur 1, 639: (Heraclitus) «clarus ob obscuram linguam»; Heracliti ergo doctrina (1, 635 – 638) damnatur, dictio tamen (1, 639-644) laudatur. Lucretius quidem gloriam hujusmodi generis dicendi Heraclitei tenebrosi e stupiditate hominum minimae eruditionis, immo inanium atque ex eorum gaudio verborum belle sonantium lepidoque fucolorum effectam declarat; duobus igitur sensibus lingua Heracliti recipitur: auditu (=auribus 1, 644) et visu (=colore 1, 644), ut ego jure opinor. Lucretius enim ipse negat effectum verborum philosophi Ephesii insuetorum solum ad aures hominum pertinere, sed affirmare videtur linguam Heracliti partim belle sonare (=aures tangere), partim lepide fucatam splendere (quali splendore verborum oculi afficiuntur); ex hoc Lucretii judicio de Heracliti elocutione semel verborum sonitus semelque eorum fulgor fucatus laudatur. Lucretius quamquam in universum effatur (1, 641) homines stolidos verba exteriora admirari et in deliciis numerare ea vocabula quae alieno modo formantur, tamen etiam ad Heracliti dicta hanc observationem communem applicat; quapropter verbum «fucata» (1, 644) unice ad «colorem», non ad «sonorem» quendam trahendum est; neque enim umquam «sonus» vel «so-

nor» *fucatus* appellatur; fucus potius ad solum «colorem» spectat, ut scriptum videmus in Ciceronis libro qui «Brutus» inscribitur 44, 162 «sine ullo fuco veritatis color»; praeterea cfr. CICERO, *De or.*, 3, 25, 96-100; QUINTIL. 6, 3, 107; nam id saltem, quod fucatur, res constans neque praetervolans esse debet; color autem permanet, sonus vero confestim dissipatur, effugit, interit. Illa verba fucata porro (1, 644) ad antecedentia verba «latitantia» (1, 642) quodammodo revocant; «fucata» enim idem fere significat ac «latitantia», nam «fucata colore» prope idem est atque «sub verbis (veris) latitantia»; manifestum quoque apparet «latitantia» ultro profundius ad sensum et intellectum verborum interiorum referri posse; nihilo secius ad vim communem «fucata» et «latitantia» reducere licet. Accedit quod Lucretius «lepore musaeo» utitur, ex quo vocabulo cognoscitur leporem musaeum ad verba poetica, non ad sonitum vocum referri. Non raro autem in codicibus manuscriptis scribae inveniuntur sua sponte et ex suo consilio verba auctoris antiqui genuina mutant, pro quibus propria inventa et subito excogitata ponunt; itaque librario facile erat veram formam «colore», injuria in falsum illud «sonore» immutare, praesertim cum in codicibus saepe C et S litterae inter se confundantur, ut denique erroris viam sic processisse statuamus: COLORE, SOLORE, SONORE.

Addatur oportet scribam ab initio versiculi (1, 644) «auris», ad verbum extremum ejusdem lineae relationem reciprocam inter audiendi sensorium (= auris) et audiendi causam (= sonorem) effinxisse ideoque rectum vocabulum «colore» in falsum «sonore» corrupisse.

Maxime igitur veri simile est in versu 1, 644 pro falso tradito «sonore» abhinc summo jure nomen aptissimum «COLORE» reponendum esse.

1, 657: «sed quia multa sibi cernunt contraria inisse
658 et fugitant in rebus inane relinquere purum,
659 ardua dum metuunt, amittunt vera viai...»

In fine versus 657 pro illa voce deformata «muse» aptam formam «inisse» restitui; in his versiculis poeta de ignis doctrina Heracliti ejusque asseclarum Stoicorum loquitur; isti enim philosophi cognoscunt sibi multa contraria occurrere (= inisse), cum talem opinionem de ignis qualitatibus exponunt; pro verbo «occurrere» metri causa «inisse» in fine applicavit, quod verbum idem valet atque «occurrere»; infinitivum perfecti Lucretius adhibuit vel ut initium actionis (= coepisse existere contraria) indicaret vel ob necessitudinem longioris formae verbi «inisse», cujus quoque infinitivo perfecti sententia ad intellectum flagitata optime exprimitur; ex scriptura depravata similium litterarum INISSE illud MVSE ortum est, pro verum «inisse» nunc recognoscitur.

1, 720: «angustoque fretu rapidum mare dividit omnis
721 Italiae terrarum oras a finibus ejus».

Inter omnes constat insulam a terra continente undis maris separari; illud igitur «undis» in fine vs. 720 sine ullo valore scriptum apparet, praesertim cum «fretu» antecedit; injuria profecto ex clausula versus 719 («undis») per negligentiam scribae cujusdam vox iterata est, id quod quivis facile intellegit; loco illius inepte repetiti vocabuli «undis» (vs. 720) jam adjectivum «omnis» (acc. plur.) ponendum est, quod ad «oras» (vs. 721) pertinet; nam «totam» Italiae oram maritimam (= omnes Italiae terrarum oras) a Siciliae finibus sejunctam esse possumus dicere; ergo illa notio «tota» (= omnes) attentissime ad distinguendum a poëta exhibetur; porro ut in vs. 720 epitheta «angusto» ad «fretu», et «rapidum» ad «mare» attributa sunt, ita «omnis» ad «oras» (vs. 721) adnectendum est; unde «omnis» optime ad extremum versum 720 quadrare manifesto sequitur.

In versibus 716-733 praeterea Lucretius prolixè de Empedocle Agrigentino philosopho praesocratico (c. 493 - c. 433) agit, quem maximum Siculorum eximia laude celebrat; Sicilia enim magna regio, multimodis admiranda, plurimis hominibus visenda, rebus optimis referta, a multis civibus habitatur, quibus hic unus antecellit Empedocles, vir omnium praeclarissimus, sanctissimus (ut Democritus 3, 371); addit Lucretius poëmata Empedoclis etiam ab aequalibus suis magno animo usurpari sententiasque tam insignes complecti quarum auctor Empedocles prope deus haberi debeat; quod Romanus poëta tot praedicationibus Empedoclem Graecum in caelum tollit, ex illis Lucretii temporibus planissime mente comprehendi potest; tum nempe Agrigentini vatis opuscula omnia Romae aderant et a multis Graecorum antiquorum philosophiae studiosis lectitabantur. Sallustius quidem (86-34) notissimus ille rerum scriptor Romanus omnia Empedoclis scripta Graeca hexametris Latinis reddidit, quod carmen «Empedoclea» inscripsit, cujus versus Cicerone saltem iudice satis inelegantes fuisse videntur; ad hoc Sallustii poëma verba Lucretii 1, 729-733 spectare verissimillimum est, ut Lucretium eadem ratione atque Sallustium philosophiam Empedoclis vitamque totam admiratum esse credamus.

1, 1114 legitur hoc modo:

«haec sic pernosces parva perductus opella».

Vocula «sic» nonnulli editores offensi sunt. EINAR LOEFSTEDT «*Coniectanea*» (Uppsala, 1950) 7-9 «sic» et «ita» (1, 1117) eadem significatione adhiberi dixit, et «sic» non recte explicuit; illa Lucretii vocabula potius hoc pacto conjungenda videntur: «sic» pertinet ad «parva opella» = «sic parva opella» = «tam parva opella»; particula «sic» etiam cum adjectivis conecitur; ergo hoc loco «sic parva opella» significat idem fere ac «minima opella». Conclusio ipsa per «haec» introducitur et per «ita» (1,1117) finitur.

4, 640-641: 640: «praeterea nobis veratrum est acre venenum,
641 at capris adipēs et cocturnicibus auget».

In versu 641 cocturnices veratro vescentes corporis crassitudine praestare narrantur; eandem speciem avium (cocturnices = ὀρνυγας) GALENUS 11, 612 (ΚΥΕΗΝ) eadem herba (veratrum = ἐλλέβορος) delectari et nutrirī refert: ἀντὶ τοῦ καθάριεν γίνεται τροφή καθάπερ ὁ ἐλλέβορος ὀρνύγων αἰεί (non purgatio, sed alimentum efficitur). LUCRETIUS et GALENUS hanc observationem ex eodem fere fonte Graeco videntur suscepisse, qui auctor rerum mirabilium erat et θαυμάσια vel παράδοξα collegit, cuius nomen definire nequimus.

5, 311-312: 311 «denique non monumenta virum dilapsa videmus
312 quae crepero poro minimumque senescere credas...»

Versus 312 adhuc omnibus editoribus molestissimius apparuit imprimis propter haec vocabula «quaerere pororro...». Sed perpenso toto verborum ordine 311-312 «monumenta» sunt quorum qualitas lapidea in versu 312 describitur; quam ob rem 312 «poro» ponendum est (pro falso «porro»); nam «porus» (= πῶρος) est lapis durus, quo monumenta construuntur; cfr. PLINIUS, *Hist. Nat.* 35, 132 et 36, 53. De voce πῶρος cfr. THEOPHRASTUS, *De lapidibus*, c. 1, 7 (opera recog. Fridericus Wimmer, vol. III, Lipsiae, 1862, Teubneriana, pg. 36) ubi πῶρος pro πόρος (ω pro ο) scribendum est; PAUSANIAS, 5, 10, 2; 6, 19, 1. MARCUS AURELIUS, 9, 36. GUILLELMUS DITTENBERGER: *Sylloge inscriptionum Graecarum*, IV (Lipsiae, 1924), 549; adiectivum ad «porum» pertinens «creper» est, quod idem valet ac «niger, obscurus» (creper porus = «dunkler Vulkantuffstein»); cfr. LUCRETIUS ipse 5, 1296 «creperī certamina belli»; «creperum bellum» est par atque μέλας Ἄρης in Aeschylī «Agamemnone» 1511 (creper = μέλας; creper porus = μέλας πῶρος); ista quidem forma recta «crepero» ad illam litterarum confusionem «quaerere pororro» perduxit; postquam vera distinctio vocum (— «quae crepero poro») a me inventa est, facile videtur etiam reliquum hoc mendum «sibicumque» corrigere. Lucretius enim affirmat: «monumenta dilapsa videmus, etsi talia sepulcra magna durissimo poro constructa sunt, quae vix vel nullo fere modo «senescere» (= dirumpi) possunt; itaque negatio ad verbum «senescere» spectat, quae ultro ad reliquias mutilatae formae «sibicumque» proxime accedit: «minimum», «minimumque» significat deinceps «etiam» aut «vel» (ante superlativum) «minimum». Postremo adjungatur Vitruvius qui de «poro» quoque agit in opere quod inscribitur «de architectura» (edidit F. KROHN, Lipsiae, 1912, Teubneriana), 2, 7, 1, ubi de generibus rubrorum et nigrorum toforum disputat; niger tofus (= *Vulkantuff*) Vitruvii est idem atque «creper porus» Lucretii; hunc «nigrum tofum» (= creperum porum) etiam FESTUS, pg. 177 sub voce «niger lapis» intellegit; niger lapis autem in Comitio (= in foro Romano) locum funestum definit, qui locus nihil aliud nisi sepulcrum Romuli circumscribit; (cfr. MARION ELIZABETH BLAKE, *Ancient Roman Construction in Italy*,

Washington, 1947, pg. 23-44, pg. 378); ex quibus deduci licet veri non esse dissimile Lucretium versibus 5, 311-312, («monimenta virum... crepere poro») maxime sepulcrum Romuli Romae respexisse.

5, 359: «aut etiam quia nulla loci isti copia circum,
360 quo quasi res possint discedere dissoluique...»

Codices scriptum «loci sit» habent; verba poëtae in hisce versibus de rebus aeternis agunt, rationesque adduntur, cur hae res perire nequeant; tertia causa propter quam aeterna non evanescent, est quod nullus talis locus circum invenitur quo illae res aeternae ad interitum se recipere possint; ex hac igitur ratiocinatione elucet ad substantivum «loci» adjectivum vel pronomen quoddam adjungendum esse ad quod pronomen «quo» 360 referri queat; pronomen vero quod requiritur ut ad «loci» 359 jungatur est «isti»; haec forma «isti» perantiqua et prisca est; quae legitur apud Catonem «isti modo» (pro «istius modi») cf. R. PRISCIANUS, 6, 36; et apud Terentium «isti formae» (pro «istius formae»); cf. R. KUEHNER, *Lateinische Grammatik*, I (Hannover, 1912), 606 (2 edit. Holzweissig). Etiam in hoc Lucretii versu 5, 359 «isti» scribatur necesse est; nam falsa lectio codicum «sit» ex illa vetusta formula «isti» exorta est; primitus enim «loci isti» scriptum est, deinde «loci sti» relictum est, quod scriba quidam in «loci sit» mutavit; notandum est in illo versu 5, 359 abesse verbum «esse», quod facile intellegitur. Denique etiam hic versus 5, 359 ita emendatus est, ut «loci isti» formam primariam lectoribus praebeat.

5, 1442: «tum mare velivolis florebat propter oporas».

Vox ista Graeca «oporas» (ἡ ὀπώρα = messis) ideo adhibenda erat, quia erronea codicum scriptio «propter odores» nequaquam intellegi potest; veram lectionem OPORAS librarius parum diligens primo sic scribens ODORAS (D pro P) reddidit, quod postea alius scriba in ODORES mutavit; cum tamen contingeret, ut aliud vocabulum Latinum ad illud absurdissimum «odores» emendandum non inveniretur, Lucretii consuetudine loquendi propter egestatem sermonis Latini observata ad voces Graecas confugiendum erat, et tam faciliter, ut aptissima vox recuperaretur: «oporae» messes significant, quae ex terris orientalibus in Italiam invehantur; portus autem optimus Romanorum temporis Lucretiani fuit Puteoli, quae urbs majorem partem ab incolis natione Graecis habitabatur; poëta verbum quidem Graecum «oporas» adhibens hoc indicare voluit: omnem Italorum com meatum e regionibus orientalibus Puteolos dirigi indidemque cunctas res commercii ad exterarum nationes efferri; Puteolis certe olim coloniae Graecae nomen «Dicaearchia» erat (cf. STRABO, 3, 145, 17, 793; PLINIUS, *Hist. Nat.*, 36, 70; SENECA, *Epist.*, 77); etiam hac de causa vates Romanus «oporas» scripsit, ut unde venirent naves onerariae, Asiam Minorem Africamque ejusque incolas item Graece loquentes indicaret

ac Puteolanos; illae autem naves Puteolos appellebant, ut Lucretius ipse videre poterat; de Puteolis cf. HEINRICH NISSEN, *Italische Landeskunde*, Zweiter Band: *Die Staedte* (Berlin, 1902), 739. Quibus rationibus tandem in versu 5, 1442 rite «propter oporas» scribatur oportet.

6, 550: «nec minus exsultantes dum vis curva viai
551 ferratos utrimque rotarum succutit orbis».

Post «exsultantes», quae vox ad ferratos... rotarum... orbis» trahatur oportet, codices maceratam lectionem «dupuis cumque» cfferunt. LACHMANN recte extremum vocabulum «vim» mutavit in genitivum «viai»; hic autem genitivus pendet a substantivo «vis» quod invenitur in «dupuis»; sed «dup» nihil aliud est nisi «dum», quae conjunctio sententiam totam introducit; postremo «cumque» mutilatio adjectivi «curva» est, quod ad «vis» pertinet: «vis curva viai», quae figura hypallagae metri necessitate requiritur pro recta structura grammatica «vis curvae viai»; agitur de saltu currum, qui via curva, quae non plana est, rotas ferreas salire, id est exsultare facit; sensus hujus versus 6, 550, est hic: «dum vis viae curvae orbis ferratos rotarum utrimque ne minus quidem exsultantes succutit»; haec verba: «nec minus exsultantes» solum hoc modo explicari possunt a poëta, ex metrorum mensura, in principio versus posita. Hoc pacto sensus plenus versus 6, 550 recuperatus est: «nec minus exsultantes dum vis curva viai...».

De LUCRETII carmine CICERO in epistula ad Quintum fratrem 2, 9, 3 (mense Februario, a. 54) hoc modo judicavit: «Lucreti poëmata ut scribis ita sunt: (sine) multis luminibus, multae tamen artis et cum veneris (virtute)...» Tullius igitur dicendi venerem (=venustatem vel gratiam) poëtae laudavit, qualem elocutionis virtutem DIONYSIUS HALICARNASSENSIS ἀφροδίτην appellavit libro «de compositione verborum» cap. 3: πολλήν τήν ἀφροδίτην τῷ λόγῳ περιέθηκα». Etiam HORATIUS in «arte poëtica» 329 eadem voce utitur «fabula nullius veneris»; QUINTILIANUS, 10, 1, 79, de Isocrate dicit: «Isocrates... omnis dicendi veneres sectatus est»; GELLIUS, 19, 9, 7, Hispani rhetoris Antonii Juliani linguam ita existimat «...quae nullas voluptates nullamque mulcedinem Veneris atque Musae haberet».

AEMILIUS [EMIL] ORTH

LAERTIADES

HOM. *Odys.*, XXIV, 335, ss.

Pomiferi, saepes quem cinxerat hispida, campi
errabant varias taciti lentique per umbras,
jamque emensus iter medium sol igneus undas
aequoris ad tremulas nitido fulgore ruebat.
Ibat Laërtes, Arcesi sanguine natus,
ora deo similis; reptans haud passibus aequis
pone sequebatur, cui vix arriserat alma
lux quinti veris, facie formosus Ulixes.
At via longa satis puero, qui solis iniquos
ignes nil poterat membris perferre tenellis.
Consistebat enim tristis modo, deinde querelis
non sine supplicibus pelles, quae crura tegebant
patris, subsultim manibus mulcebat, euntem
si retinere via posset confectus et aestu:
«Siste gradus, genitor; te amabo, siste parumper!»
Ille nihil; pergebat iter velut inscius, hortum
totum collustrans oculis et amoena vireta.
Ad puerum tandem se totum vertit et inquit:
«Eja, puer! Cur jam pridem vestigia fessus
ipse premis? Propera!... Quercu captare sub alta
frigora mox dabitur nobis longamque quietem».
Haec illi fatus praebebat saepius uvas,
quas nondum ambrosio tellus Phoebusque liquore
plene ditarant; gradiens tum mora ruborum
frondosave bonus carpebat ab arbore mollem,
guttatim flueret quae flavo nectare, ficum,
alliceret carum parvo quo munere natum.
«Hanc cape! —sic blandis verbis muttibat Ulixi
Laërtes genitor—; mollis quae ficus!» (et illi
porrigit interea) sugas, mi pupule... Cernin'
ut mel ab ore gravis roseum distillet hiante?»
Hic viridi tumidum nudavit cortice pomum
implevitque ambas subita dulcedine buccas.
Suscipiebat iter rursus tunc impiger; inde:

«Dic, pater — aiebat—, quando gaudere quiete
 fas erit? Ut jam deficio!... Quid in arboris umbra
 non hic tantilla requie conceditur uti?
 Me sitis aegra premit...» Nam pupo impensius aura
 usque calens atque ipsa sitim quae pinguis anhelam
 forte videbatur ficus pepulisse tenellas
 fauces siccarat. Pater at conversus ad illum:
 «Quae tibi mora rubus nunc praebet roscida! Sucum
 purpureum mitemque tegunt... Es, pupule; sumas,
 et sicco fugiet sitis arida gutture. Ne dic
 te non posse viae languentem ferre labores
 ac solis radios; sis primo a tempore vitae
 fortis ut in primis olim fortissimus exstes.
 Jamdudum tibi membra vigent; persta usque sitimque
 comprime ut indomitus... Quam primum, crede, sub illa
 —nonne vides illuc (digito monstrabat) amoenae
 obscuram quercus fluitantis flatibus umbram?—
 care, quiescemus; spissa gaudebimus illuc
 corpora humi strati quaesito frigore in herba.
 Est fons mellifluo qui claras gurgite lymphas
 alliciens fundit...» — «Pater, o properemus!» Ulixes
 tunc ait et patrem cupidus laetusque praeibat.

Huc illuc grilli veluti formidine capti
 saltabant; caveam pavidae se more sub artam
 raptim condebant maculosae membra lacertae,
 interdumque brevi foliorum murmure callem
 magnus transibat densa de vepre lacertus.
 Tunc puer adstabat percussus corda pavore.
 «Cur stas? Ne timeas (Laërtes voce monebat
 dulciloqua); haud laedit pueros... Quibus aspice ocellis
 te parvum miretur herum ut si rite salutes
 —nonne vides?— dicat!...» Varium caput ille paventi
 namque viatori puero obvertebat amicus,
 corpore stans flexus caudam et quandoque retorquens.

Corripuere viam. Vigil incedebat Ulixes
 nunc gressum intentus retinens, nunc sentibus atra
 mora legens, longa quassans modo arundine saepem:
 cantus rumpebant longos querulosque cicadae.
 Posterior divo genitor ceu lumine pressos
 multis ad terram lustrabat fructibus omnes,
 sic sperata sibi mox ditia pondera, ramos.
 Dispositas tunc cernebat recto ordine vites

quae flavescebant aestivo sole racemis,
 cum subito passus tenuit miratus ad altam
 se prope finitimas vincenitem palmitem vitem.
 Hic latice innumeros botros vinoque tumentes
 dum contemplatur, foliis nudabat ubique
 baccas ut Phoebus fecunda luce mearet.
 Sensit ubi natus gressum tenuisse parentem,
 mox rediit. «Quid tute vides, pater optime?» — «Baccas
 aspice quam teretes! Stillabunt flumina vini
 suavis, odoriferi, curas quae pectore pellent
 laetitiamque dabunt promentem gutture cantus»;
 Interea foliis nudabat cautus et uvas
 carpebat puero mites, gustabat et ipse.
 «Quam placet —arguta tunc voce aiebat Ulixes—,
 quam placet uva mihi!... Vinum praebebit odorem...
 Quando, pater? —Cui rex Laërtes: «Mense legemus
 hoc uvas; pedibus compressi in labra racemi
 concava stillabunt sucis, sucique relapsi
 paulisper validi fervent; volitabit ubique
 gratus odor. Gelido cum campus turbine totus
 frondibus arescet nivibusque excelsa nitebunt,
 ante focos cyathis plenis resedebimus omnes
 mellifluumque diis nectar libare juvabit».
 Multa liquet nato genitore loquente saliva;
 inde: «Parens, cur me, quaeso, non vitibus istis
 donas, perficiam divum quo munere vinum?» —
 «Ordinibus quinquaginta te, pupule, dono!»
 Emicuit risus labris oculisque puelli.

Dum lente placet ire iterum vitesque per altas
 securi gradiuntur heri spectantque beati,
 naturam sapiens fruticum pandebat alumno
 nominaque attento Laërtes: mitia tantum
 cur maturescant aestivo tempore mala,
 capreolis curnam devincta cacumina vitis
 se extollat, quo mense juvet committere sulcis
 semina, quo vitis caelo fecunda seratur,
 corticibusque novis quo post mutetur ut almus
 ros melius saliens mutatus culmina tangat
 ac roseis sucis vel nigris compleat uvas.
 Tramite pergebant silvestri. «Cur mihi ficus,
 πάππα φίλε, haud aliquot donas?» Sic rursus et illi
 tresque decemque puros laeto dedit ore decemque

malos et quadraginta dedit ordine ficus
murmure stridentes tenui septembribus auris.
Exultavit herus patremque amplexus inhaesit.

At sol paulatim caelo deferbuit; agris
circum servorum voces hinc inde sonabant
jam lassae; pingues vituli pecudesque relictis
campis turmatim saturi ad sua saepta redibant
dum querulis agni balatibus aethera replent.
Ibat rex Ithacae puero comitatus; ad umbram
adveniunt quercus patulae unde arguta cicada
jactabat tenuem tamquam defessa canorem.
Ut fons desiliens resona pellucidus unda
gramine currebat praecinctus, faucibus aestum
expellens suadensque levi dare lumina somno!
Puras hausit aquas iterumque iterumque puellus,
hausit Laërtes; tum membra levare per herbas
tandem fracta datum. Servorum deses uterque
aspiciebat opus, pendentia mala, racemos,
palmitibusque altis frondentes undique vites,
cum longe ad mare forte puer vaga lumina vertit,
longe ubi caerulei Phoebos fugiente patebant
vasta maris tremulo gemmarum flumine secta.
«Quid, pater, est?» miro quaesivit pectore pupus,
intentisque oculis spectabat in aequore puppim
alas velorum pendentem vespere ventis.
«It linter? — «Quo, quo?» — «Postrema ad litora tendit» — .
«Quid portat? quis inest? — «Pontum secat usque timendum.
Ventus agit; nautae remis velisque per ampla
aequoris undisoni noctesque diesque vehuntur» — .
«At quid adest illic?» — «Terra pelagusque sonorum» — .
«Suntne illic homines?» — «Multi, mi nate, gubernant
quos alii mores aliaeque novaeque loquelae» — .
«Quid? tu vidisti?» — «Cunctos haud, pupule, vidi.
Multi adsunt, multi! Paucos tantummodo novi.
Terra sunt Phoebus quas urit; olentibus auris
ast alias circum laetas fluit undique pontus;
lingula ioniacas inter protenditur undas;
grata quidem hinc volitant multorum opobalsama odorum
atque canes magico alliciunt cantamine in antri
saxa voraturae sinuoso gurgite nautas...»
Auribus arrectis oculisque intentus ab ore
patris narrantis totus pendebat Ulixes;

deinde ratem, extremi quam sol fulgoris amictu
 amplexabatur, tacitus spectabat in undis.
 «Numquid at est aliud, dic, post tanta aequora? Et illi:
 «Sunt maria et terrae!» — «Post...?» — «Sunt, sic fama, columnae,
 quas umquam nullus transivit iturus in altum» —
 «Post autem?» — «Pelagus, pelagi sine finibus aequor,
 et Mors...» — «At nullae gentes?» — «Postrema viator
 nullus adhuc visit: pelagus protenditur et Mors!»
 Lumina convertit longinqua ad litora pupus.

Interea, vergente die, de more bubulci
 ad fontem, quo Laërtes advenerat, albas
 herbifero virgis ducebant tramite vaccas.
 Dum gelido vaccae saturantur fonte, salutes
 dant homines regi et multa hinc atque inde seruntur.
 In terras tenebrae circum cecidere vagantes.
 En sidus tremit in caelo, duo sidera, mille
 sidera per sudum passim trepidare videntur;
 ultima lux tenuis, tenuissima solis imago,
 limite in extremo caelique sub axe moratur.
 Cantus fundebat grillus; timido abditus herbis
 incepit querulas ranunculus ore querelas
 dum velut ignoti fluitant modulamina mundi.
 Ad fontem rex Laërtes sermone loquaci
 usque morabatur paucos fidosque bubulcos;
 immemor at, reliquis prima sub nocte remotus,
 filius in pavidas umbras vertebat ocellos
 Oceanumque nigro velatum tegmine noctis
 puppes mente videns pandentes vela per altum,
 postremique orbis terras pontumque sonorum
 —hunc ratibus nullus tentarat, lumine nullus
 illas lustrarat—, nautis minitantia monstra
 et pelagus sine fine ingens, Mortemque latentem...

JOSEPHUS MORABITO

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Andreas Avenarius, S. V. D., P. Joseph Mir, C. M. F., S. D.

Non quod nihil sit quod agam praeterea, sed ut in examinandis vocabulis tuam vel nostrorum amicorum temptem sententiam, nunc dactylographium coepi contrectare. Accepi nuper tabulas vocum variarum, quibus in suis colloquiis Latinis adolescentibus nostris usus esset frequentior. In eo examine quaedam inveni nova, quaedam etiam novanda, et scis me in eo genere audere, quae a quibusdam «maccaronica et Folengana» habeantur.¹

Haec autem hoc dico consilio, ut in censendis, quae sum dicturus, vocabulis memineris deliberata me et bene versata dicere, tua tamen non tangi multoque minus oppugnari, tantum a me expectari tuum triticum pro meis paleis

Jam igitur perlege haec pauca —nam fortasse plura mittam postea— divinans, quid significare possint singula; nam haec vis est vocabuli, ut, simul audiveris aut legeris, quae in mea mente est imago rei, in tua quoque mente emergat. Quae igitur imagines oboriuntur in tua mente in meis scriptis legens: *pressoriolum* - *insaponare vel persaponare* - *terrenas partes domus* - *terrena conclavia* - *fenestralia vitra* - *philateliā* - *gastariam* - *birotalia* - *clavulum orbiculatum* - *ecpomasterem vel ecpomasterium* - *vecturarium* - *acum tutam?*

1. Hic Folengus Hieronymus, vel religionis nomine —nam erat S. Benedicti filius— Theophilus, genere Italus, vixit ab anno 1496 usque ad annum 1544. Folengus non ita raro sic utitur lingua Italica, ut Italicis verbis terminationes Latinas tribuat. «Maccaronica» igitur vel Folengana lingua erit, si quis verbum Italicum quod est *andare* faciat *ando, andas, andat*, si dicat: «*andabis* hodie in theatrum?» si respondeat: «Nemo nostrum *andabit*, tamen, si sapiant *andent*». Memini me illis temporibus praetereuntem cum fratre Thermas Caracallae videre puerum ascendentem in murum herbis consitum earum ruinarum. Et enixus erat bene quinque aut sex metrūm altitudinem. Socius, minor annis puer, ejus premebat vestigia. Ad quem ille superior conversus: «Scemo, inquit, mi fai cascar». Hoc tibi narrans si loquar sic: «Ragazzum vidimus sese arrampicantem per murum ruinarum Caracallae et audivimus compellantem et quasi sgridantem suum cameratum: Barde, facis me cascare, facis ut ego casc(h)em», hoc Folenganum sit. Sed ubi ego pro penitus dilecta voce, TRAMEN (vel TRAMENTUM) ex «trahendo» duxero totumque ortum monstravero novamini, minus belle, nulla dicta causa, nullo ostenso productionis vitio, saepius ferula Folengismi vapulem. Oporteat, opinor, dici, curnam novata legitime vox illegitima sit, cum praesertim eadem vox, in aliam sententiam, sed eadem ratione ex eodem etymo tracta legatur in lexicis Latinis, ut in praeclaro illo Forcellinii opere. TRAMEN ego Folengo vindicari nunquam probabo.

Quae his significata voluerim ego, haec sunt:

Ubi ad domum clausam veneris, ad dextram januae vel in media janua conspicias orbiculum, saepe osseum, quem si presseris, virtuti electricae, vel electrico fluento circuitum dederis, et campanula electricè excitata sonitum et adventus tui signum dare incipiet. Is orbiculus hic dicitur a me *pressoriolum*. Ferunt Kettelerum, Moguntinum episcopum, per urbis vias Incedentem vidisse pusionem conantem attingere januae *pressoriolum*, sed per staturam frustra, accedentem benigne episcopum pressisse fortiter clarumque tintinabulum reddidisse sonitum, adhortante pusione Ordinarium: «Sed heus, opus nunc celeri fugast, ne videant pressisse nos»; Episcopum excusasse sonitus perturbationem.

Insaponare et *persaponare* ausus sum proculere conspicatus in lexico «saponatum», hoc est aquam in qua dissolutus sapo sit. Hoc vocabulo locutionis consulitur brevitati, cum non amplius dicendum sit: «perfricare vel illinere faciem sapone», sed sic mamma interrogabit: «Heus, Carole, jam *insaponasti* faciem et collum? Jam *persaponasti* corpusculum?»

«Pianterreno» Italorum et «parterre» Gallorum sic censeo sonari, cum dico me habitare in *terrenis* domus *partibus*, duo conduxì *terrena conclavia* cujusdam domus sitae in via falcaria.

Fenestralia vitra sonantius dicere videor, quam «vitra fenestrae».

Philateliā legas etiam in Baccii lexico. Homines ei rei dediti *philatelici* vocantur, et sunt saepe permolesti.

Gasiaria est officina, ubi *gas* vel *gasiū* comparatur.

In *birotalia* quomodo processerim dicendum. Jam alias scripsi me illas regulas ferreas, quae sternuntur humi ad leniendum lapsum rotarum ferrearum striatarum, quae anglice et hispanice «rail» audiunt, vocitare *rotalia*. Et mihi suffragantur Itali, quos video apud Zingarellium: «rotala» nominare unamquamque earum regularum chalybearum viae ferreae — «dol binario» — super quas incederet vel tramen (*treno*) vel tramviarius currus. Ibi etiam, sub «rotala», mea vox, quae est *rotale*, totidem litteris scripta est. Nunc si ex *rotalibus* constat una axium ferreorum linea, illud *binario* Italorum et nostrorum *Geleise* facillime erit *birotalia*, siquidem binis ad illum usum semper opus est *rotalium* lineis, ordinibus.

Quam Germani vocamus *Heftzwecke*, quam Itali² vocant *puntina*, ego facio *clavulum orbiculatum*.

Ecpomaster non dubium quin incognitum se tibi offerat. Hic excogitanda vox erat, quae referret Italicum³ *cavatappi*, *Korkzieher*, *tire-bouchon*, *corkscrew* — dolendum quod ad manum non est vocabularium germanico-hispanicum; nam hispanico-germanicum est — et jam «cochleam suberum», etiam «extracto-

2 DUDEN, etiam hispan. 76, 24.

3. DUDEN, 2/, 19.

rium» cogitare coeperam, cum in mentem venit repeti ex graeco oportere. Qui nunc sunt docti inter Graecos — quos etiam Egger in LATINITATE proxima pagina 244 suis ornat laudibus— id utensile *επωμαστέρη* nominant. Nam *πῶμα* est, quod obturamentum dicimus *πωμάζειν* obturare, *ἐκπωμάζειν* tollere obturamentum. Inde illi derivaverunt prius *ἐκπωμαστήριον* post *ἐκπωμαστῆρα*. Mihi vox placet. Tibi minus?

Nuper in quodam documento interpretando Latine indigebam nomine Latino, quod par esset Italico *speditore* vel *spedizioniere*. Quem nos olim Gallica voce *Spediteur* vocabamus, hodie propria lingua *Fuhrunternehmer*, *Fuhrherr* malumus. Consideratis omnibus hunc *vecturarium* appellavi.

*Sicherheitsnadel*⁴, *lo spillo di sicurezza*, ego *acum tutam* vel *obtectam*, *conectam* temptavi.

Sed aveo audire tuum et sociorum nostrorum iudicium de omnibus.

Scilicet nimium quantum deterritus ab usu proprii intellectus etiam quae intellegere videar, non etiam intellego, tam dulce est desipere. Tu vale atque salve.

Tyrsirutis, XI kal. Dec., a. 1956. Nam quod antea «Tyrsi rutum» volebam, nunc potius «ruta» dicenda arbitror. Oppidum est octo fere milium incolarum et qui circum sunt agri, non «rutum» sunt sed «ruta Tyrsi». Est igitur plurale tantum nomen «Tyrsiruta», et hae litterae datae sunt *Tyrsirutis*.

Josephus M.^a Mir, C. M. F., P. Avenario, S. V. D., salutem plurimam.

Te jam diu ab amico litteras exspectare; ille vero nihil... Sed nolo diutius humanitatis erga te deesse officio; hisque litteris, de tuis vocabulis quid ego sentiam, aperio.

Et primum cogito vocem *tractus*, quae quibusdam placet, ut latine *tren - treno - train - Zug* reddamus, non esse prorsus rejiciendam⁵, cum haec vox ex primigenia Romanorum significatione ad nostram curruum seriem, quae suo *tractu* movetur, facile deflecti posse videatur (cfr. exempla eorumque interpretationes quae a Forcellinio et a Freund perhibentur). — Neque tamen a *tramine* recedendum, nam sive ad verbum *traho* refertur et cum *trama* (**tragh-sma*) coniungitur⁶ — alii tecum *tramen* quasi **trah(i)men*, **trag(i)men*, quod trahitur, ut agmen id quod agitur, esse volunt—; sive a verbo *transmeo*, *trameo* derivatur⁷, et seriem curruum trahentium vel transeuntium — ultra transeuntium— exprimit, *tramen* aptius vocabulum quam *hamaxostichus* ad rem de-

4. DUDEN, 14, 5.

5. PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 19.

6. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymolog. de la l. l.*, s. v.

7. Cfr. WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymolog. Wörterbuch*, s. v. *trama*.

signandam (*tren*) videtur. Haec enim vox a Graeco fonte; *tramen* vero ex intimo sermone Latino eruitur —ut etymologi ostendunt—⁸, quanquam non est vox purae Latinitatis, sed eadem ratione et forma ac multae voces, quae in *-men* desinunt, est efficta⁹. Injuriam igitur vox Følengiana habetur cum, non ex vernaculis *tren - train - treno*, *tramen* faciamus latine, sed rei novae nomen aptamus Latinum, de cuius etymo adhuc inter scriptores disceptatio intercedit; at in verborum penuria potius de nostris victitemus quam ab aliis mutuum accipiamus. Nefas igitur est *tramen* non solum nota infimae Latinitatis inurere sed etiam, et maxime, vocem ut Følengianam, non vero Latinam, impugnare eique Graecorum nomen sufficere quod minus —ut arbitramur— rem significet declarandam.

Et ad proposita a te verba veniamus.

Pressoriolum placet et verbum rei consonat; «pressorium» enim est instrumentum ad premendum. Succurrit tamen mihi similem adhibuisse vocem, quae est *pulsabulum*¹⁰, quae vox licet in lexicis alio proponatur sensu, a Ducangio *campanae* quoque significatione perhibetur¹¹. Utrum mavis *pressoriolum* an *pulsabulum*? Nos Hispani rei nomen *pulsador* indidimus¹².

Insaponare: ex vocibus «saponatum, saponarius, saponaria» (cfr. DUCANGE) facile verbum *saponare* deduci posse videtur; quam quidem vocem primum eruendam et usurpandam censeo; deinde ad *persaponare*, si opus sit, deveniemus. —Quae tamen voces ex iis fortasse sunt de quibus alias dixi¹³: «Non semper e novata voce alias quoque inde erui posse; sic e substantivo nuper invento fortasse et adverbium facile deducemus, verbum non licebit...».

Terrenas partes domus - terrena conclavia probari possunt et per me licet; sed Romani eandem rem *pede plana* dixerunt, «*stanze a piè piano*, τὰ ἐπίπεδα loca in aedibus solo aequalia, quaeque pede plano, h. e. sine ascensione adeuntur»¹⁴; cfr. etiam: «Ingrediamur *pede plana*: *entrons au rez-de-chaussée - entremos en la planta baja*»¹⁵.

Fenestralia vitra - vitra fenestrae: utraque dictio optima praesertim si cum paucis lexicis et auctoribus apud Ovidium, *Fast.* 6, 578 legendum statuas: «Unde *fenestralis* nomina porta tenet» (alii *fenestellae* legunt).

8. ERNOUT-MEILLET, WALDE-HOFMANN, FORCELLINI, GAFFIOT, FREUND, GRADENWITZ, cetera.

9. Cfr. «*medicamen, ligamen, velamen, moderamen, foramen, stramen, certamen*», GRADENWITZ, *Laterculi vocum Latinarum*, Leipzig, 1904.

10. «En tintinnabuli *pulsabulum*: *voilà le bouton de la sonnette - he aquí el botón de la campanilla*», *Nova et vetera*, opusculum, p. 23.

11. *Pulsabulum*, campana. Anselmus Leodiensis, c. 48.

12. VOX, *Diccionario manual ilustrado de la l. Española*, s. v. et tabula picta campana.

13. *Viget Latinitas, Helmantica*, n. 18 (1954) 389.

14. FORCELLINI, s. v.

15. *Nova et vetera*, opusculum, p. 23.

Philateliā - **philatelicos** ex Graecis et a doctis viris excipiamus voces; ἀτέλεια enim «immunitatem a tributis» significat; et ideo cum a tributo cursuali —alii dicunt postalī— pittaciis quodam modo liberemur, pittaciorum cursualium studiosi *philatelici* vocantur quasi sint φίλοι ἀτελείας.

Gasiaria: haud scio an memineris olim te dixisse¹⁶: «gaseam permixtionem, vasa gasaria, gaseos furnos, gasi subsidere». BACCI, *Lexicon*, s. v., habet: *gasium, gasiometrum*; LURZ vero¹⁷: *gas* —ut vas—, *gasosus, gasiformis, gasarius, gasalis, gasometrum, capitis integumentum antigasalis*. —Possumusne utramque adhibere formam: *gas - gastum, gasarius - gasarius?*

Rotalia tua me probasse compertum habes¹⁸, quae vox cum singulas illas virgas seu regulas ferreas designet, singulari numero esse efferendam censeo ita ut singulae sint *rotale, is, (rail, riel)*, *paria* vero *rotalium* quibus via ferrea efficitur —quaeque ab aliis «binarium, geminae ferratae viae axes, linea ferrata, linea ferriviaria» appellantur— tu nunc facis *birotalia*, quam quidem vocem non rejicio, sed probabilius mihi est *curriculum*, quod jam diu proposuisti¹⁹: «...Te properare iussero ad tertiam crepidinem illudque *curriculum*, quod ingredienti sit ad dextram, nam ad sinistram quartum sterni *curriculum*».

Ecpomasterem ingeniose, non equidem negabo, effectisti; ab eo tamen, ut ab hamaxosticho, recedam; neque tamen a recta via aberrasti cum *suberis extractorium* protulisti; locutionem probo; *extractorius* legitur apud Plinium (*Hist. Nat.*, 24, 11, 50 (87)); sed aptius dixeris —ut opinor— *extraculum, extrahaculum (sacacorchos - tire-bauchon - cavatappi)*, eadem excusum forma ac «sustentaculum, habitaculum, perforaculum, spectaculum, receptaculum, gubernaculum, signaculum»²⁰. Recentium scriptorum auctoritate innixus auctor sum ut *extraculum, extrahaculum* adhibeamus.

Vectuarium recte induxisti, est enim qui vecturam facit, ad vecturam pertinens. Confer tamen quae, cum de *statione* et *ferrivia*²¹ agerem, dixi; ex quibus intelleges esse qui *vectuarium* tuum fecerint *expeditorem (factor expéditeur - speditore)*.

16. PALAESTRA LATINA, 18 (1948) 481.

17. *Societas Latina*, 1952, 8.

18. PALAESTRA L., 26 (1956) 24.

19. PALAESTRA L., 20 (1950) 184.

20. Cfr. I. GONZÁLEZ, *Palaestra Latina*, 2 (1932) 113; CAPELLANUS-LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?*, 11 ed. p. 15: «Haben Sie einen Korkzieher? - habesne *extraculum?* (nach *vinculum, jaculum*, etc. gebildet). Cfr. quoque: MENGE-MÜLLER, *Langenscheidts Taschenwörterbuch*, 13 ed. s. v. *Korkzieher*; WAGNER, *Dictionarium Hungarico-Latinum*, s. v. *dughúzó*. Dr. tamen LIS (*Societas Latina*, 7 (1939) 49) *tormentum corticum* proposuit.

21. PALAESTRA L., 26 (1956) 22-23 s. v. *persignare, syngrapha vectoria*.

Acum tutam, obtectam, contectam innovare opus non esse credo cum ex Romanis ad significandas acus, quae feminae eo tempore usurpabant, *acus comatorias* et *crinales* habeamus, quas apud RICH et alios depictas videas.

Video te —quem alii dicunt currum *transviarium*— fecisse *tramviarium*; de qua voce deque ejus etymo propediem disputabimus.

Habes iudicium, qualecumque est, quod postulasti. Ex iis quae dixi id efficerem, quo mecum convenias facile, ad res latine exprimendas et declarandas non unam tantum aptam esse posse vocem, ut et lexica ostendunt plurima, quae veterum complectuntur Latinitatem, et nostrae aetatis lexica, quae novam quam dixeris Latinitatem, continent, ut illud Bacci, clarissimi Praesidis Consilii LATINITATIS, in quo saepe non nullae proponuntur rationes quibus res nostrae enuntiari possunt latine. Idque in omnibus linguis fieri compertum est.

Ad nova inventa resque nostrae aetatis apte latine exprimenda sedulo et diligenter allaboremus; non una in omnibus erit sententia, sed ex omnium opera et prudenti aequaque sententiarum concertatione et controversia verborum illud prodire potest recentium rerum vocabularium Latinum quod viri docti jam diu expetunt et exspectant.

Ex nuper allatis litteris te multis hebdomadis in lecto cubare intellego; nunc te jam sacris operari; gaudeo, sed valetudinem tuam cura diligenter nostrisque rebus te forti animo conserva.

Barbastro, a. d. X calendas martias, a. MCMLVII.

NOVA ET VETERA

DE ARGENTARIA

1. Superiore mense Matritum profectus sum ut amicum —qui argentariam publicam Hispanicam moderatur— convenirem. Cum matutino tempore Matritum perveni, Antonius, cuius utor amicitia, in argentariae officio erat.

2. Diu praestolatus sum, ille enim cum viro valde pecunioso sermonem conferebat qui, occasionem nactus, in foro nummario multas emerat colloca-

1. **argentariam** [*banco - banque - banca - Bank*]: cum de re nummaria agatur, quae a Romanis maxime exercebatur, de vocabulo recentiores scriptores, ut par est, etiam conveniunt. Habes: «nummaria (mensa)» (GONZÁLEZ, *Candidatus Latinus*, 3 (1930) 9); «nummularia mensa» (JACOBELLI, *Novi Flores -V. U.*, s. v.); «argentaria» (BINI, *L'uso vivo della lingua lat.*, s. v.); «argentaria, nummaria mensa» (DUMAINE, *Conversations latines*, 3 ed., 269); «mensa (publica)» (LURZ, *Societas Latina*, 18 (1952) 3); «argentaria, nummaria mensa», «publica mensa» (*di stato*) (COGNASSO, *Il latino per l'uso moderno*, s. v.); «mensa nummaria, argentaria» (MARIANO apud PACITTI, *Premier Congrès international pour le latin vivant*, Avignon, p. 78); «mensa argentaria, argentaria; argentaria taberna; mensa publica» (*banca di stato*) (BACCI, *Lexicon*, s. v.) «mensa argentaria» (MENGE, *Langenscheidts Taschenwörterbuch*, 15 ed., s. v. *Wechselbank*). — De voce *argentaria* legimus apud FORCELLINIUM: «2. Subaudi *taberna* vel *mensa*, et est ea in qua quis in argento, seu in pecunia negotiatur et lucrum quaerit; et sub voce *mensa*: «5. Item argentariorum et rationum, in qua numerantur pecuniae, rationes conflunt, *banco*». Et nos igitur optime: «argen-

taria, mensa vel taberna argentaria; mensa, mensa nummaria, (mensa nummularia)».

officio: cfr. quae de hac voce diximus (PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 167 s. v. *officium - tractatorium*).

2. **pecunioso** [*capitalista - capitaliste - capitalista - Kapitalist*]: «homo pecuniosus, capitalista, plutocrata» (LURZ, *Societas L.*, 28 (1952) 11). — Delendum: «capitalista»; neque vox Graeca «plutocrata» - πλοῦτος - κρατέω - necessaria videtur, quae tamen admitti posse fortasse quibusdam videbitur. Apud FORNARIUM (*Alma Roma*, 17 (1930) 10) alias loquendi rationes legas: «homo pecuniosus, pecuniatus (1); bene nummatus; bene a pecunia paratus; a pecuniis instructus; pecuniis abundans, effluens; pecuniis refertus; copiosus»; quas locutiones praesertim si superlativo modo efferas, sensum vocabuli *capitalista* belle latine exprimes.

• **foro nummario** [*bolsa - bourse - borsa - Börse*]: «forum nummarium» (MARIANO apud PACITTI, *Premier Congrès intern. pour le latin vivant*, Avignon, p. 78); «mercatus argentarius, mercatus nummularius, titulorum mercatus,

(1) Vox expungenda —uti credo—, deest enim in lexicis. • «Nummatus est nummis abundans»; «pecuniosus est pecunia abundans, bene nummatus, dives, *danaroso*, πολυχρήματος (cfr. FORCELLINI, s. v.); quae voces a Cic. adhibentur.

tae pecuniae syngraphas et publici census titulos, illamque pecuniae summam ut collocaret, advenerat.

3. In illo expediendo gravissimo negotio animum defixum Antonius habebat, neque me praesentem adesse intellexit quod de meo adventu nuntium telegraphicum —telegramma— casu nondum acceperat. Nolui tamen ab eo maximi momenti sermone illum abducere, et officiali exquirenti quid ego quaerem, me cum moderatore³ familiari conjunctum esse consuetudine meque ad illum invisendum advenisse respondi. Ille me, summa humanitate complexus, ut in arcisellio sederem rogavit, cumque de itinere et parentibus esset percontatus, se praefectum computationum⁵ esse dixit. Ac dum collo-

Forum, ad Janum, ad Janos» (COGNASSO, *Il Latino*, s. v.); «forum argentarium —MARIANO—, mercandis nummis sedes (*sede della borsa*)» (BACCI, *Lexicon*, s. v.); «bursa» (*Candidatus Latinus*, 3 (1930) 11); «mercatus nummarius, bursa» (LURZ, *Societas Latina*, 18 (1952) 4); «titulorum mercatus» (DUMAINE, *Conversat. lat.*, 373). - Ex quibus optimam seliges locutionem: «forum nummarium, forum argentarium»: *forum* enim erat «locus quo, negotiorum, et praecipue fenerandi causa populus conveniebat». (FORCELLINI, s. v.); quae vox aptior videtur quam *mercatus*, hic enim non locus fenerandi proprius est, «sed ponitur pro emporio, seu loco, ad quam mercatores emendi vendendique causa conveniunt...» (FORCELLINI, s. v.). — «Bursa» vero, uti censeo, delenda est, cum solum in glossariis invenitur alio sensu, et alia habeantur apta verba.

collocatae pecuniae syngraphas [*acción - action - azione - Aktie*]: ita BACCI; «titulus partis socialis» (DUMAINE, *Conversat. lat.*, 373). «Syngrapham» adhibere possumus; quae tamen vox ad diversa significanda usurpatur ejusque sensus nimium multiplicari videntur; qua moti ratione *syngrapham* dicamus vel «*titulum*» *collocatae pecuniae*; et aequè probabilem aestimo *titulum partis socialis*. Nam «tituli debitorum nomina dicuntur, praesertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniae commodatae sunt» (FORCELLINI, s. v. *nomen* II, 2 et *titulus* 5). *Pars* vero *nummularia (action proprement dite)* (cfr. DUMAINE, *Conversat. lat.*, 372; COGNASSO, *Colloquia Latina*, 78) erunt singulae partes, quae in so-

cietate anonyma, sortem seu summam pecuniae collocatae constituunt.


publici census titulos [*titulos, (valores del estado) - titre de rente - titolo di rentita - Wertpapier*]: ita apud COGNASSO (*Colloquia Lat.*, 78) et DUMAINE (*Conversat. lat.*, 372) scriptum legas, et locutio rei optime quadrat.

3. **nuntium telegraphicum** - *telegramma*: de his vocibus cfr. PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 20.

officiali - moderatore: cfr. PALAESTRA L. 26 (1956) 167.

arcisellio [*butaca - fauteuil - poltrona - Armsessel*]: vocem ex Petronio sumpsit («*arcisellum* de suo paravit», 75), quem locum alii *artisellium* (FORCELLINI, s. v.), alii vero *arcisellium* legunt (WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etym. Wörterb.*, s. v.). Cfr. *Nova et Vetera* —opusculum— p. 19. — *Subsellium*, quod a Bacchi et ab aliis profertur («*subsellium*, *subsellium nobile, molle subsellium*»), rei nostrae parum convenire videtur, nam «*subsellium* differt a *sella*, quia non habeat integrae sellae formam; constat enim, *subsellium* fuisse parvum *scamnum* quattuor suffultum pedibus rectis et *sine reclinatorio*...». — Quamquam «*subsellium*» voci sellae —quam vocamus *butaca - fauteuil* — fortasse accommodari potest, multo probabilior nobis est *arcisellium*, i. e. *sella arcuata* vel *bracchiata*; pro nostro vero *sillón* «*caethedram*» proponimus adhibendam.

praefectum computationum [*jefe de contabilidad, contable - comptable - ragioniere - Rechnungsführer, Kalkulator*]: eodem fere sensu



quimur id animo percepi esse officiales qui ejus mandata exsequerentur, omnemque sortem, quam argentaria haberet, sedulo perscriberent, quaestus computarent et cum arcario⁸ cottidie conferrent. Labor est accuratissimae di-

usurpari possunt: «ratiocinator, qui est 'subducendae rationis peritus' (FORCELLINI, s. v.); «computator» (SEN. *Epist.* 87, 5); «calculator» (ISID. *Etymolog.* 1, 3); «a rationibus». — «Ratiocinator, computator, rationarius, calculator, a rationibus» (BACCI s. v.); «ratiocinator» (MARIANO-PACITTI, *Congrès Avignon*, p. 7); «calculator, computator, ratiocinator» (LURZ, *Soc. Lat.*); «computator, ratiocinator» (COGNASSO, *Il latino*).

sortem [capital - capital - capitale - Kapital]: «summa» (GONZÁLEZ, *Candidatus Lat.*, 3 (1930) 9); «caput, sors, pecuniae summa, pecuniae vis» (BACCI); «caput, sors, vivum, summa capitalis, capitale» (LURZ, *Soc. Lat.* 18 (1952) 22); «sors et fenus, pecunia, peculium, summa» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.). — «Caput, sors, summa, summa pecuniae» sufficient: «vivum» in locutionibus «de vivo detrahere, rescare» (CIC.); «summa capitalis, capitale» habentur in glossariis (cfr. DUCANGE); ab his tamen absteineamus oportet.

perscriberent [anotar]: cfr.: «similiter perscribi dicuntur rationes rei familiaris, quae in

tabulis seu codice conscribuntur accepti et expensi» (cfr. FORCELLINI, s. v.); «Similiter perscribi dicuntur quaecumque in tabulis trapezitarum referuntur, sive ut ipse debeas, sive ut tibi debeantur».

quaestus [ganancia - gain - guadagno - Gewinn].

arcario [cajero - caissier - Kassierer]: «arcarius» (MARIANO-PACITTI, *Congrès Avignon*, p. 78); «pecuniae custos, dispensator, mensarius» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.); «capsarius (Candidatus Lat., 3 (1930) 9); «mensarius, arcarius» (BACCI); «arcarius, dispensator» (LURZ, *Soc. Lat.* 18 (1952) 11). — Vox «arcarius», licet non inveniatur apud optimos Latinitatis scriptores, ad hunc rei nummariae administrum designandum omnium aptissima videtur, cum mensarius magistratus esset, qui aliquando sub quaestoribus pecuniae custodiendae deputaretur (cfr. RICH, DARFENBERG-SAGLIO, FORCELLINI). Et «dispensatores inter officia domus Augustae saepissime leguntur in antiquis inscriptionibus» (cfr. FORCELLINI, s. v.): sed hoc officium cum arcario parum videtur convenire.

ligentiae, nam si in numero errant, arcae recognitio non consequitur omnesque transcriptiones et rationes perscriptae iterum sunt recognoscendae.

4. Nunc vero cum machinae computandis numeris — machinae calculatoriae — praesto sint, computationum ratio facilius efficitur et securior. Singulis diebus prius quam ab opera cessant officiales¹⁰⁻¹³ rationum ponderationem conficiunt et omnes computationes subtiliter componunt. Hunc ego laborem maxime injucundum habeo, totum enim exigunt diem addendis subducendisque numeris.

5. Arcarium⁸ in tesseraria⁹ vidi, qui in tradenda et accipienda pecunia valde erat occupatus. Vel nummus sestertius, qui in argentariam infertur aut ex ea deducitur, in arcarii manus venit. Sagacissimus esse debet et emunctae naris homo ne in errorem incidat! Qua vero erat erga omnes humanitate qui illum adibant dum schedinummos summa digitorum agilitate computabat

arcae recognitio [*arqueo - vérification de la caisse - verifica di cassa - Kassenbericht*]: rei conuenit locutio; alibi tamen non inueni.

transcriptiones [*asientos - recette - partite - Rückbuchungen, Einnahmen*]: (cfr. AVENARIUS-HOLZER, *Palaestra Lat.*, 22 (1952) 178; 22 (1952) 192): quae vox proprie significat «actus transcribendi, describendi aut translatio obligationis in alium, quae fit transcribendo ejus nomen» (cfr. FORCELLINI, s. v.); huic tamen rei (*asiento*) aptari potest, nisi mavis uti «descriptione».

rationes perscriptae [*salidas - débit - partite - ausgegangene Rechnungen, Ausgaben*]: (cfr. AVENARIUS-HOLZER, *Palaestra L.*, *ibid.*): «perscribi dicuntur rationes rei familiaris, quae in tabulis accepti et expensi conscribuntur» (FORCELL., s. v.); potest igitur de expensis dici (*salidas*). — Quae tamen *transcriptiones et rationes perscriptae* idem significare videntur atque illae veterum voces «acceptum et expensum, creditum et debitum», cet.

4. **machinae computandis numeris - machinae calculatoriae** [*calculadora - machine à calculer - machine calculatrice - Rechenmaschine*]: apte rem expriment; «calculatorius» est in inscriptionibus et in recentioribus scriptoribus.

rationum ponderationem [*balance - bilancio - Bilanz*]: «crediti et debiti compensatio» (DUMAINE, *Convers. lat.*, 271); COGNASSO,

Colloquia Lat., 78); «ponderatio rationum» (MARIANO-PACITTI, *Congrès Avignon*, p. 78); «acceptorum et expensarum ratio, acceptorum et datorum ratio» (BACCI, *Lexicon*, s. v.); «crediti et debiti compensatio». «Ratio, rationarium, ratio pecuniarum» (erit, nisi fallor, computandi effectus); «bilancem prodere» (*pubblicare il bilancio*); «bilanx» (DUMAINE, *Convers. Lat.*, 271); «ratio accepti et expensi, bilancia» (LURZ, *Soc. Lat.*, 18 (1952)); HOLZER, *Palaestra L.*, 22 (1952) 192); «activorum et passivorum compensatio» (AVENARIUS, *Palaestra L.*, 22 (1952) 178); «libratio, libratura», (*Candidatus Lat.*, 3 (1930) 9). — Sufficiant — uti censeo — «ponderatio rationum, acceptorum et expensorum ratio, crediti et debiti compensatio»: quae «generatim sumitur pro collatione rei cum re, ut debiti cum credito, damni cum emolumento, item imputatio duarum summarum, ita ut qui debeat centum, tantumdem minus debeat, quantum ex alio capite creditor erat» (FORCELLINI, s. v. *compensatio*). — A vocibus vero «bilanx, bilancia» abstineamus cum in lexicis et glossariis non habeantur et priores voces sufficiant; «activa et passiva» novum habent sensum qui «credito et debito» = «accepto et expenso» respondere videatur; «libratio et libratura» aliud designant neque opus est has voces in novum sensum deflecti.

5. **tesseraria**: de hac voce cfr. PALAESTRA L., 26 (1956) 21.

schedinummos [*billete - billet - biglietto -*

reddebatque creditoribus! Et erant omnis generis homines qui sua afferebant negotia: ut cottidianas instituerent computationes; ut fenera ex sorte, quam in argentaria collocatam habebant exigerent; ut syngraphas nummularias, quas domus negotiatoriae per argentariam Hispanicam ad eos miserant, solverent; ut pesetas, itineris causa, cum francis permutarent...

6. Computationum praefectus⁵ id sua sponte me docuit — cum quaedam me teneret admiratio — syngraphas aut domi solvi posse, quod ut facilius et expeditius fiat apparitor¹¹ nuntium de syngrapha certo die solvenda

Banknote]: «charta nummaria» COGNASSO, *Il latino*, s. v.); «nummi cartacei» (COGNASSO, *Colloquia Lat.*, 78); «schedula argentaria, tessera nummaria» (DUMAINE, *Convers. Lat.*, 269, 334); «scheda» (*Candidatus Lat.*, 3 (1930) 9); «charta mensaria» (LURZ, *Soc. Lat.*, 18 (1952) 3); «charta nummaria (MARIANO), rei publicae syngrapha» (LUCIANO BACCI, *Lexicon*, s. v.). JOVEUS (*Alma Roma*, 14 (1927) 49) ex schedae et nummus fecerat *schedinummiam*, *scidinummiam* (subaudi «tesseram») cum similia a Latinitate non sint aliena vocabula ut *poscinummius*, *negantinummius*. — Non sane displicent voces superius allatae, neque rejiciendam puto *schedinummiam tesseram*; attamen nuper in «Primo Congressu linguae Latinae vivae reddendae» Avennionense coacto (*I Congrès... Avignon*, p. 124), vocem *schedinummius* proponere ausus sum: «Veteres dicunt «nummus», habent etiam «schedam»; quare pro nostro *billete de banco*, «*schedinummius*» procurere dubitamus, pro qua voce haud prorsus indocte alii «*chartam nummariam*» dixerunt?». Cujus vocis ratio et forma similis est omnino aliis vocibus compositis; ut «*agri-cola*, *agri-cultor*, *agri-mensor*, *amni-cola*, *angui-pes*, *auri-fodina*, *argenti-fodina*», cet., ex quibus altera compositi pars desinit littera -i, altera vero intacta remanet; «*schedinummius*» igitur erit *nummus schedae* seu *chartae*, ut ex superioribus «*men-sor agri*, *cultor agri*, *fodina argenti*» (cfr. composita primae declinationis «*aquili-fer*, *aqui manile*, *capri-mulgus*, *causi-dicus*», cet.).

cottidianas computationes [*cuenta corriente - compte-courant - conto corrente - Konto Korrent*]: «quotidiana computatio, ratio continuata accepti et expensi» (DUMAINE, *Convers. lat.*, 270); «computus continuus (currens)»

(LURZ, *Soc. Lat.*, 18 (1952) 12); «cotidiana computatio» (cfr. *Alma Roma* in singulis fasciculis ab a. 1915-16-17, in operimento).

fenera [*interés - intérêt - interesse - Zinsen*]: «*fenus*, *usura*» (DUMAINE, *Convers. lat.*, 359; COGNASSO, *Il latino*); BACCI, *Lexicon*, s. v. *Capitale*: «*usura*, ae, f. (*interesse come rendita da riscuotere e come frutto che paga il debitore per l'uso del capitale prestato*); *foenus*, oris, n. (*interesse da pagare, come guadagno di chi presta*)».

syngraphas nummularias [*letra - traite - cambiale - Wechsel*]: «*tractoria*, *jussum solvendi ex cambio*» (DUMAINE, *Convers. lat.*, 270); «*syngrapha*, *litterae cambiales*, *cambium*» (LURZ, *Soc. Lat.*, 18 (1952) 21); «*tabula obsignata*, *syngrapha*, *cautio*» (COGNASSO, *Il latino*, s. v. *cambiale*); «*syngrapha*» (BACCI, *Lexicon*; MARIANO-PACITTI, *I Congrès Avignon*, p. 79). — «*Tractoria*» epistula fuit quae rei nummariae, nisi fallor, aptari nequit. — *Syngraphae* adjectivum «*nummularia*» adieci, quia haec *syngrapha* ad nummularios seu argentarios peculiariter pertinet, vocem enim «*syngrapham*» definiti oportet cum aliis quoque significationibus a recentioribus scriptoribus locupletetur.

pesetas: de hac voce Hispanica olim discebat, cfr. *Quomodo latine vertenda Hispanica vox «peseta»?*, PALAESTRA LAT., 5 (1935) 114-115; cfr. etiam de hac voce COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Madrid, vol. III, s. v. *peso*, 755.

francis [*franco - franc - franco - Frank*]: vox est apud DUGANGIUM: «*moneta Francica*, nostris *franc*».

6. **apparitor** [*ordenanza*]: cfr. BACCI, COGNASSO, s. v. *uscieri*; «*apparitor*» est qui

domum defert, aut debitorem in argentariam, ut solvat, posse accedere. Cum moderatorem adhuc in negotio immoraturum animadvertissem, a praefecto computationum quo fenore pecuniam acciperet quaesivi, et mutuari se dixit binis centesimis annuis, fenori vero dare quinis centesimis.

7. Hoc ergo effecti, ex iis quae vidi, quicquid spectaret ad usuras computandas, versuras faciendas, syngraphas nummularias expediendas, cottidianas computationes instituendas, id praefecti permutationum⁶ officium esse, qui vir in re gerenda peritissimus erat. Admirationem mihi quoque movit quod suo quisque munere diligentissime fungebatur.

8. Cum virum illum bene nummatum diutius sermonem protracturum essem assecutus et alios⁴ praeterea adesse qui cum Antonio Moderatore negotia agere vellent, computationum praefecto me tempore postmeridiano rediturum dixi; tunc enim temporis argentariae aditus non omnibus patet, sed officialibus tantum et iis qui cum moderatore ejusque sociis colloqui cupiunt.

magistratui, sacerdoti, aliis apparere solet (FORCELL.).

binis centesimis annuis [al 2 % anual - à 2 pour cent]: maxima est difficultas ut hujus aetatis usuras ad veterum Romanorum accommodemus. Nam primum non prorsus patet quid veteres «usura unciaria» significaverint (cfr. FORCELL., s. v.). Deinde usuras illi computabant menstruas, nos vero annuas. Plures sunt scriptores qui hanc difficultatem solvere curarunt: DUMAINE in opusculo *Conversations latines*, p. 360, s. v. *Le taux* habet: «Au lieu du système des Romains, adopter les termes modernes 1 %: fenus ex uno pro centum; 3 1/2 p. 100: ex tribus et semis pro centum; 4 %: ex quatuor pro centum, etc.». — Quae quidem ratio usurarum computandi multis non probabitur. Aliter usuras nostras ad Romanorum usuras accommodare visus est Dr. Lurz (*Societas Latina*, 18 (1952) 16) qui centesimas non menstruas fecit, ut apud Romanos, sed annuas; quo illa computandi usuras praecipua difficultas facillime evanescit. Habet enim: «Prozent — centesima; ein 4 % iger Pfandbrief = litterae pignoratitiae quaternarum centesimarum; 5 % Zins = usura quinarum centesimarum»; MENGE-MÜLLER (*Langenscheidts Taschenwörterb.* s. v. Prozent) eandem computandi usuras rationem insequuntur: «centesimae f. pl.; zwei (drei, vier), binae, (ternae, qua-

ternae) centesimae», ex quibus dices: «prestar al 1 % = centesimis fenerari; prestar al 2 % = binis centesimis fenerari; 3 % = trinis centesimis; 4 % = quaternis centesimis; 5 % = quinis centesimis. — COGNASSO (*Il latino*, s. v. tasso) DUMAINE sententiam sequi videtur, habet enim: «tasso dell' 1 %: fenus ex uno pro centum; del 3 1/2 %: fenus ex tribus et semis pro centum»; sub voce vero *interesse* veterum rationem insequi videtur: «interesse dell' 1 %: usura unciaria, opp.: centesimae (partes) ..; del 4 %: usura trientaria opp.: quaternae centesimae». — Ubi tamen illud perpendendum et animadvertendum est *usuram unciariam* et *centesimas usuras* rem prorsus aliam significare, atque *trientariam* et *quaternas centesimas*; unciaria enim respondet nostro 1 %, centesimas vero usuras 12 %, trientariam esse 4 %, quaternas vero 48 %. Quae apud Forcellinum et Meissner (*Phraséologie latine*, p. 252) explicata videas: «quaternas centesimas postulare, Cic. Att. 5, 21, 11: demander un intérêt de 4 pour cent par mois ou de 48 pour cent par an».

7. **versuras** [préstamo - emprunt - prestito]: cfr.: «versura praecipue usurpatur de pecunia mutua ab aliquo sumpta vel gratuito vel cum fenere reddenda»; «versuram facit qui accepti mutuo» (FORCELL., s. v. 3).

Quarta igitur hora postmeridiana telephono exquisivi num moderator adesset, et cum telephoni administra¹⁸ et illum adesse et me exspectare respondisset, iterum argentariam adii. Antonius omnibus me officiis est prosecutus, ac de multis, una excepta pecunia, sermonem fecimus ac protraximus.

Administer¹ accessit fascemque chartarum moderatori tradidit, in quibus erant epistulae, nuntii, syngraphae. quae scriba ab epistulis² paraverat.

Haec subscribere solet ab epistulis argentariae, quasdam vero maximi momenti recognoscere et subsignare debet ipse moderator.

Primum rem nummariam valde implicatam putavi, deinde vero rem faciliorem esse intellexi.

9. Cum aliquantulum defatigati essemus moderator ad urbis monumenta perlustranda me invitavit; et vespertino tempore ad argentariae sedem pervenimus, moderator enim libros computationesque diei interdum recognoscit, et arcae recognitione et rationum ponderatione effecta, ipse subsignat.

Officiales et administri (10-13-15-16) ab opera non cessaverant: syngraphas ad alias argentarias transferendas obsignaverant, rationum summam confecerant, omnesque transcriptiones, quas mane in ephemeride notaverant, in codicem majorem rationum rettulerant...

8. **telephono:** cfr. PALAESTRA LAT., 26 (1950) 169.

telephoni administra [*telefonista - telephoniste - telefonista - Telephonbeamter*]: «famula telephonica (*femm.*); filo dictionis minister, filo colloquendi minister, telephoni minister, telephono praepositus (*masch.*)» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.) «telephoni administer» (BACCI, *Lexicon*, s. v. *telefono*); «telephonista» (LURZ, *Soc. Lat.*, 18 (1952) 20).

subscribere [*firmar - signer - sottoscrivere - unterzeichnen*]; cfr. voces «subscribere, subsignare, subsignatio, subnotare, obsignare» (FORCELL.).

9. **syngraphas transferendas obsignabant** [*firmar, sellar las letras que se han de iras-pasar a otros bancos* cfr. «Litterae... expressae de tabulis in libros transferuntur. Haec om-

nia summa cura... ab hominibus honestissimis obsignata sunt» (CIC. *Verr.* 2, 77, 189).

summam conficiunt [*hacer la suma - faire le total*]; cfr. «potestas omnis aestimationis habendae summaeque factundae censori permittitur» (CIC. *Verr.*, 2, 53, 151).

in ephemeride [*diario - livre-journal*]: cfr. «Eae (rationes) ex commentariis et ephemeride in codicem describebant et exhibebant» (FORCELL., s. v. *refero*, 10), cfr. DUMAINE, *Convers. lat.*, 271; quibusdam fortasse probabitur etiam «rationarium», quod est «liber in quo rationes et acta continentur, *giornale, registro, ἐφημερίς*» (FORCELL., s. v.).

in codicem majorem rationum rettulerant [*pasar al mayor*]: «referre in libellum rationum (COGNASSO, *Colloquia lat.*, 78), cfr. CIC. *Verr.*, 2, 23, 56.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

PER ORBEM

Commemorationes: Memoria clarissimi viri MARCELLINI MENÉNDEZ Y PELAYO, centesima adveniente ab ejus nativitate anniversaria commemoratio-
ne, anno 1956, tota Hispania, maximo splendore est celebrata. In actis diur-
nis et commentariis ejus laudes summo honore agitatae sunt atque elatae.
Nec immerito, cum huic praeclaro viro magnam partem, quod litterae et artes
et scientiae apud Hispanos novo afflante spiritu surrexerint,tribuendum sit.
Quis fuerit MARCELLINUS MENÉNDEZ Y PELAYO nemo inter Hispanos est qui
ignoret. Sancti Andreae (*Santander*) ortus, ibique primis litterarum elementis
imbutus, magno in litteras quas classicas dicunt amore est captus. Ante
quam bacchalaureatum adeptus est, linguas Graecam et Latinam apprime di-
didit. Unum et viginti annos natus illos libros, qui *Historia de los heterodoxos
españoles* inscribuntur, vulgavit. Memoria plurimum valuit magnoque inge-
nio, et cum maxima in laborando vigeret facultate atque assiduitate, multas
res summa sapientia tractavit, novasque disciplinarum provincias et ipse
percurrit et viam aliis ingrediendam indixit atque monstravit. Cujus scripta
plus quam quinquaginta voluminibus continentur. Quamquam plurimas dis-
ciplinas excoluit, rebus tamen historicis et litterariis pervestigandis in primis
vacavit atque existimandis.

De rebus etiam scriptoribusque classicis plura, eaque optima typis man-
davit. Liceat quorundam librorum indicem dare: *Historia de las ideas estéticas*,
Estudios de crítica literaria, *Horacio en España*, *Bibliografía latino-clásica* (X vol.),
Obras completas de Cicerón (traducidas), cet.

Veteres Graecos et Romanos magno prosecutus est obsequio ac venera-
tione eosque habuit et firmamentum nostrae hujus aetatis et incitamentum ad
nova in posterum provehenda. «Quis, enim, ita ille, infitiabitur —si id quod
ad artem spectat detrahimus— quantum in moribus conformandis et animo
profecerint Graeci et Romani? Quidquid homines, insitis natura viribus, in-
tellectu et voluntate attingere possunt, veteres illi adepti sunt». «In philoso-
phia neque proponi neque solvi plures quaestiones possunt quam Graeci
posuerunt atque solverunt».

Potius quam philologus —quamquam philologorum doctrinis atque
inventis sedulo usus est— esse voluit et exstitit vere humanorum litte-
rarum cultor seu «humanista», illam tamen humanitatem tenuit quae in
Christo complementum invenit atque fastigium: et humanus fuit vir et vere
christianus.

Quadringentesima Sti. Ignatii de Loyola Commemoratio: Superiore
anno, quadringentesima peracta est a morte Sti. Ignatii de Loyola commemo-

ratio. In praeclarissimi hujus viri laudibus contexendis, nihil est quod imoremur cum maxima ejus laus sit quod, aut nemo, aut si quisquam ille literas cultumque humaniorem et ipse per se et per sodales saeculo XVI et sequentibus provexerit. Qui quidem —res haud sane contemnenda— cum, ex corruptis moribus ad virtutis studium conversus, ad maximam Dei familiaritatem intravisset ab eoque excelsis et «mysticis» muneribus cumlatus esset atque donatus, intellexit sibi opus esse humaniorem educationem complere, et triginta annos natus, linguae Latinae vacavit, quam fundamentum humanum putavit quod divinarum rerum sibi concreditarum pondus sustineret atque fulciret. Itaque Ignatius —vir sanctissimus— optimus etiam est «humanista», cujus opus *Exercitia spiritualia* totum hominem hominisque virtutes excitat et dirigit ut homo perfectus, id est christianus, evadat ⁽¹⁾.

Inventa Archaeologica: Tandem bombardae —quae horrissono modo multa destruxerunt atque vorarunt— ad bonum quoddam faustumque eventum etiam contulerunt. Templum namque *Fortunae* —quod, ut Cicero narrat, Carneades Philosophus anno 156 a. Ch. n. videns exclamasse dicitur: «Nusquam Fortunam fortunatiorem quam Praeneste vidi», de quo tamen certa notitia et reliquiae quaedam vix habebantur— detexerunt. Post duodecim annos impensi laboris (ab a. 1944 ad 1956), opus quod bombardae inceperunt, cl. magistro Georgio Gullino duce et archaeologo Furio Fasole, feliciter ad effectum adductum est.

Praeter alia, inventum est musivum quoddam quo variis coloribus Niliviones exprimuntur, atque simulacrum, mutilum tamen et sine capite, quod forsitan Deam Fortunam exhibeat. Utrumque, et musivum et simulacrum saeculo II a. Ch. n. adscribitur. Qui de hoc templo Praenestino plura scire voluerit, legat quae scripsit cl. v. Romulus STACCIOLE in commentariis quibus est index *Studi Romani*, IV (1956) 594 sq.

—Ad vicum Hispanicum qui «*Fuentes de Ebro*» appellatur, dum effosiones —moderante cl. v. Antonio Beltrán, in Universitate Caesaraugustana doctore— fiebant, vestigia quaedam inventa sunt e quibus effici potest ibi urbem Romanam, ignoto nomine, saeculo II fuisse.

—**Phidiae fictoris officina?** Ex iis quae nuper Olympiae effosa sunt, effici videtur inventam tandem esse officinam illius Phidiae, Graeci fictoris nobilissimi, qui s. V a. Ch. n. fuit. Quam officinam, omnes —Pausaniam, rerum scriptorem secuti— aedificium quoddam esse putabant quod templo Byzantino ibi exstructo continetur. Cum nuper ea omnia, quae in hoc templo col-

(1) N MANGEOT, S. J., socius et PALAESTRAE LATINAE conscriptor, commentationem misit de sancto Ignatio, quam opportuno tempore typis mandare, spatio deficiente, nequivimus. Proditur tamen, si fieri potest, proximis fasciculis. Haec ad tempus satis sint ad venerationem Sto. Ignatio ejusque Societati exprimendam.

lecta erant, extracta essent et accurate recognita, formae quaedam patuerunt s. V a. Ch. n. adscribendae, quibus usus esset Phidias ut aureos sinus Jovis Olympici vestis conficeret. Praeterea plus quam sexaginta formae ad vitrum fundendum, rejectanea ossea, eburnea, plumbea, ferrea, gypsea, caela, scalptra, aliaque multa inventa sunt, quae omnia propria sunt officinae fictoris. Quae cum ita sint, haud temere asseri posse videtur, hanc officinam Phidiae fictoris fuisse.

Societates Studiis Classicis provehendis in Civitatibus Americae Septentrionalis. Commentarii, quibus est index *Cassical Weckly* jam quinquaginta annos prodeunt. Primus fasciculus anno 1906 editus est, quo anno etiam societas illa cui est nomen *Classical Association of the Atlantic States* condita est. At haec jam quinquagenaria Societas, non una est in Civitatibus Americae Septentrionalis. Aliae multae studia classica strenue prosequuntur et fovent, inter quas has liceat numerare: «American Philological Association» —quae commentarios vulgat: *Transactions and proceedings*, «Classical Association of Canada» —quae *The Phoenix* —, «American League» —quae *Classical Outlook*—, «Archaeological Institute of America» —quae *American Journal of Archaeology* —, Alumni Association of the American School of Classical Studies at Athens», Classical Society of the American Academy in Rome, «Society for Ancient Greek Philology», «Vergilian Society of America», quae commentarios edit: *Vergilian digest*. Studia ergo humaniora apud Americanos florent vigentque.

Studia Classica per orbem: Linguae Latinae (ne dicam et Graecae) ubique terrarum omina impendent dira: homines enim, iis tantum intenti quae ad vitae usum pertinent, studia posthabent humaniora. At res aliter ab aliis agitur. Apud Italos res jam annum et amplius acriter in commentariis et actis diurnis cotidie agitur et disputatur; apud Hispanos vero Administrum Publicae Institutioni provehendae decreto, Scholae Mediae erectae sunt, quae nomine «Secciones filiales y nocturnas de los Institutos» ornantur; quarum «sectionum» alumni studiis mediis vacabunt, hac tamen lege, ut a lingua Latina liberentur. Quod sane maxime noxium et funestum linguae Latinae erit, cum hi alumni, sermonis Latini ignari, illis qui in eo ediscendo insudarunt, aequiparentur.

Praeses et Consilium et multi «Consociationis Hispanicae Studiis Classicis provehendis» socii de rei gravitate Administrum admonuerunt, idque vehementer postulaverunt ne lingua Latina ab Schola quae media dicitur, penitus rejiciatur.

Vita functi sunt: Michael Ventris: Die sexto, mense novembre, anno 1956 tristissimo casu, cum curru automobili veheretur, nec opinata morte

ereptus est clarissimus ille vir MICHAEL VENTRIS, qui primus scripturam Minoicam Linealem B legit atque interpretatus est. Qui quidem, architectus cum esset, tamen adeo vehementissimo studio cultum atque humanitatem Cretensem atque Mycenicam prosecutus est ut anno 1952, tricesimum aetatis annum agens, eorum signa legerit; quo Graecorum Antiquitatis memoriam mirum in modum illustravit atque ad annum bis millesimum a. Ch. n. retraxit. Brevi in lucem edetur postremus ejus liber cui est index *Documents in Mycenaean Greek*, quem una cum amico Prof. CHADWICK scripserat. Nobilissimi hujus viri mortem omnes omnium gentium viri eruditi lugebunt.

—Etiam supremum vitae diem egit praeclarus ille atque emeritus Vindobonensis Universitatis Doctor PAULUS KRETSCHMER (2. V. 1866 - 9. III 56) qui et commentarios quibus est index *Glotta* condidit et libros *Einleitung in die Geschichte der Griechischen Sprache* (1896), *Griechische Vaseninschriften Ihrer Sprache Nach Untersuch* (1894), *Sprachen* et alios exaravit.

—Unum abhinc annum mortem obiit Doctor Linguae Latinae in Universitate Erlanger, Alafrius KLOTZ (15. VI. 1774 - 10 I. 1956) qui in provincia quae sua erat assidue laboraverat. R. I. P.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

COLLECTANEA

DE VIIS NOVIS

Primo omnium gentium Conventu Latinae linguae «vivae» reddendae, multa de via ac ratione ad adolescentium animos hac lingua imbuendos aptissima disputata sunt. Omnes uno ore in hoc convenerunt: novandas esse vias et illas rejiciendas quae vel longiores essent vel nullam fere utilitatem continerent. Spectatissima femina E. Plaut, rationem et viam suam, quam magno rerum usu cognitam habet, proposuit, quam «naturalem» vocat. iis quae protulit quaedam excerpere liceat, quibus legentes quae ejus ratio sit et qualis, verius certiusque perspiciant:

UNE METHODE NATURELLE DE LATIN

Definition. — Je demande instamment qu'on ne confonde pas cette méthode «naturelle» avec les méthodes «vivantes» ou «directes» — auxquelles je suis très violemment hostile, lorsqu'elles sont seulement vivantes ou directes. J'appelle ma méthode «naturelle», parce que, si elle tient compte de l'enfant phénomène *biologique* comme le font les «direct Methods», elle se préoccupe aussi de l'*intelligence* de l'enfant et se fonde sur la *grammaire expliquée* et assimile les *acquisitions les plus récentes* de la *phonétique* et de la *morphologie historiques* du latin...

Je considère donc, comme M. le Directeur CAPELLE, dans sa «Présentation du Congrès», qu'«il faut une réforme profonde de l'enseignement du latin». Car, si la faculté et le désir que possédaient les gens cultivés de lire du latin (ou, du moins, d'en relire) a disparu en un demi siècle, c'est, comme le dit M. Capelle, parce que notre génération n'a pas été formée au latin de façon à être capable de s'en servir et une **renovation profonde, s'adressant à de larges auditoires et faisant appel aux méthodes les plus modernes serait une condition essentielle...**

QUELS DOIVENT ETRE LES PRINCIPES FONDAMENTAUX D'UNE METHODE MODERNE?

1.° Le latin est une langue:

A. — Une langue est un ensemble de **sons en liaison avec des reflexes.**

Une langue, même «morte», reste, par nature, une langue.

Une langue ne peut s'apprendre que par des **SONS.**

Que dirait-on d'un professeur de dessin qui consacrerait presque tout le temps de ses cours à des «exposés oraux»? Les latinistes font le contre-sens invers: ils gâchent presque tout le temps des leçons à parler français; mauvais français (mot à mot français) et mauvais latin (mot à mot latin).

L'enseignement doit donc être surtout oral.

Il faut consacrer la plus grande partie des leçons à parler latin.

Lecture du texte et questions et réponses en latin sur ce texte.

B. — Une langue a un «genie» propre, une **structure** qui lui est particulière, il faut que l'enfant en acquière l'**habitude psychique** dès le début, il faut dès le début respecter l'**ordre latin, proscrire le mot à mot.**

Des élèves, brillants dans les débuts, s'effondrent lorsqu'ils abordent les textes parce qu'on les a dressés au mot à mot. Conçoit-on un professeur d'allemand qui ferait rabâcher, dans les cours et les devoirs: «Ich habe Brot gegessen — Ich habe gegessen Brot. — J'ai mangé du pain».

2.° Il faut une **méthode démocratique**, qui s'adapte à l'enfant moyen, qui économise le temps, qui convienne à une classe nombreuse, qui ne nécessite ni phonographe, ni disques pour le travail individuel à la maison, qui n'ait pas besoin de prendre l'enfant à 6 ans.

3.° Une **méthode qui ait pour sujet l'histoire et la civilisation latines, rehaussées d'illustrations authentiques, mais lisibles...**

4.° **Appel à l'intelligence**, par l'explication de la *grammaire*, qui, sans que l'enfant s'en doute, devra être appuyée sur les dernières acquisitions de la linguistique générale, de la *phonétique* et de la *morphologie historiques* du latin. Ce sont les principes que je me suis efforcée d'appliquer dans

MA METHODE NATURELLE

J'ai tenté de lui donner un double caractère *biologique et scientifique: biologique* parce qu'elle tient compte du phénomène physique qu'est l'enfant ainsi que des lois d'acquisitions d'un *langage: méthode active, conversation; scientifique*, parce qu'elle accepte et *explique la grammaire*, appuyée à la fois sur la phonétique et la morphologie historiques.

(Cfr. «Premier Congrès International pour le Latin vivant», pag. 109 sq.).

Cum de viis novis loquamur, multa etiam agere possumus de duobus libris ab officina libraria DE SIKKEL, S. A., *Lamoriniërestraat*, ANVERS, editis, *Enchiridion, Manuel de Grec*, dico, a Georgio LURQUIN exaratum et *VIA NOVA, manuel de Latin pour la sixième*, a J. VERDYCK - C. GROENYNCKX. At pagellarum angustia prohibemur quo minus hic plura verba faciamus. Quae dicenda putavimus, in *Bibliographia* commemorabimus proximo fasciculo.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

G. GARUTI. — *Il tipo «-turus sum» nel latino arcaico*. Casa Editrice N. U. Gallo Bologna, 1954.

G. Garuti hoc opere, quamvis parvi voluminis, non exiguae quidem ad rem, quae attingitur, auctoritatis et ponderis, primus ordinem seriemque orditur operum et investigationum de grammatica Latina quae Alafrido Ghiselli auctore atque moderatore, in lucem sunt evulganda.

PALAESTRAM LATINAM legentibus indicem aliquantulum explicari oportet. Tres quasi praecipuae partes in opere distinguuntur: prima parte de historia quaestionis agit auctor. I. — Quae sit origo participii *-turus*: ubi exponuntur et in lance dijudicantur hypotheses et opiniones Postgate, Nacimovich, Muller, Pauli, Kretschmer, Ernout, Buck, Juret (pg. 10-16). II. — Qua ratione et modo morphologico potiatum participium *-turus* et forma *-turus + sum*: commemoratur et propugnatur opinio, quam nemo hodie rejicit, Stolz-Schmalz asserentium participium *-turus*, ut attributum, a sermone Latino archaico et classico alienum esse (p. 17-19). III. — Quemnam sensum habeat conjugatio periphrastica: ibique factis et rebus quaestionis eorumque evolutione chronologica ad nostram usque aetatem et iudicis perpensis et expositis clarissimorum grammaticorum et philologorum utputa Stolz-Schmalz, Draeger, Riemann, Neue-Wagener, Landgraf, Sjoegren, Lindsay Bennet, Marouzeau, Steele, Kühner-Stegmann, Methner, Lease, Juret, Stolz-Hofmann, Van der Heyde, duae sententiae distinguuntur propugnantium sive sensum futuri tamquam actionem immediatam et actionem quam sibi quispiam proponit (quae sententia pluribus arridet) sive sensum praesentis (sententia Sjoegren et Heyde) (pg. 20-28).

Secunda parte agitur de conjugatione periphrastica apud Plautum. I. — Quaedam historica et linguistica exponuntur de origine futuri in sermone Latino et de modis futurum exprimendi (pg. 29-32). II. — Conjugatio peri-

phrastica textuum Plautinorum, ubi loci disputati apparatu critico muniti, et loci, cum lectione tum defectu verbi auxiliaris, incerti colliguntur (pg. 33-35). III. — Periphrasticae usus apud Plautum: a) ratio et munus adjectivi quod conjugatio periphrastica habet in praesenti, b) virtus atque momentum periphrasticae cum futuro simplici collatae, c) initium adhibendi periphrasticam ut futurum relativum, d) periphrastica et infinitivus futurus (pg. 36-65). Quas in primis totius operis pagellas laudi et novitati auctori merito tribuimus, praesertim cum locis Plautinis studens adeo impense et scite vim psychologiam exprimendi cogitata producat atque ostendat singulosque locos in novum examen cum ratione contextus tum animi poetae revocet dijudicandos.

Tertia denique parte de periphrastica conjugatione post Plautum agitur. I. — A Plauto usque Terentium (pg. 66-67). II. — Conjugatio periphrastica post Terentium (pg. 78-85). Postremo consecraria et colligenda indicesque nominum et locorum (pg. 76-95).

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

G. GARUTI. — *Il toponimo in luogo dell'etnico in latino*, parte prima, dalle origini ad Augusto. Casa Editrice N. U. Gallo, Bologna, 1955.

Alterum volumen ejusdem corporis seu collectionis et ab eodem scriptore G. Garuti de usu vocis toponymicae pro «ethnica» exaratum. Praecipua ad notitiam totius lucubrationis excerptimus: In antiquiore sermone Latino nulla fere vox toponymica eminet, nam ex parte tantum documentorum copia (agitur enim de sermone ad rem publicam administrandam) exstat. Cum autem rerum civilium ratio ac disciplina in majus incrementum venit populiue seu regiones praestantem in historia locum obtinuerunt et lingua Latina e documentis publicis ad scriptorum opera evasit, tum denique voces toponymicae adhiberi

coeptae sunt. Quod perpendi licet potius quam in fragmentis Catonians, in scriptoribus orationis solutae aetate Caesariana et Augustea jam inde ab ipso Caesare («*Gallia libera*» = Galli liberi; «*Gallia pacata*» = Galli pacati, apud Caesarem). Apud Ciceronem quaedam verba toponymica (*Sicilia, Italia*) majorem habent vim atque praestantiam; quod idem fere de Tito Livio dicendum apud quem aliae voces toponymicae (*Latium, Etruria, Syracusae*) «stilistice» eminent, dum aliae sunt tantum nomina provinciarum Romanarum (*Africa, Hispania*) nullam plerumque vim stilisticam in textibus habentia. G. Garuti de voce toponymica «*Graecia*» in primis agit, quae in vitis Cornelianis est universa Graecia adversus Persiam unita atque concitata; apud Ciceroem Graeciae antiquioris imago praevallet tamquam humani cultus, bonarum artium et litterarum effectricis; apud Livium vox Graecia civitates et leges Graecas sub Romanorum ditione complectitur. In carminibus usus vocum toponymicarum vividior ac poëticum sensum attingunt; ita enim *Troja* (*Ilium, Dardania*), *Latium, Italia* (*Ausonia, Hesperia*). Apud poëtas *Latium* quandam fabulosam secum fert indolem et speciem; *Italia* autem a vatibus contemplata longe alia atque a Cicerone exstat. Vox toponymica *Roma* — imaginum plena — sive gloriam et splendorem celebrat magnae Urbis sive corruptionem; hac voce toponymica Urbs intensiorem ac praestantiores significationem obtinet. *Roma* — amplissima matrona — omnia vatum opera poëtica aetate Augustea occupat. Prae multis altis vocibus toponymicis vox *Graecia* prima usu venit, Graecia nempe illa Trojani belli (jam inde a veteribus Latinorum poëmatibus et apud Ovidium quoque); Graecia humani cultus effectrix (apud Horatium et Vergilium), Graecia denique sacra deorum colens (apud Ovidium). *Bajae, Capua, Asia, Germania* legenti propriam imaginem et indolem quaeque suscitatur.

Proinde licet asserere usum vocis toponymicae pro «ethnica» promiscue neque fortuito sed rei publicae vel alicujus populi seu regionis vividius exprimendae causa fieri; unde patet momentum hujus lucubrationis non tantum ad rationem et disciplinam stilisticam verum etiam quod ad rem historicam attinet.

A. MARTIN SARMIENTO, C. M. F., Profesor de Filosofía. — *Sentido religioso de la obra literaria de Jean Aristeguieta*, Ediciones Garrido, Caracas, 1956.

P. Angelus M. Sarmiento hoc opere nobis offert praecipuam animi indolem et ingenium clarissimae poëtriae Venetiolanae Jean Aristeguieta. In duas partes opus dividitur quarum in prima sagax criticus et investigator P. M. Sarmiento sensu adjectivi «*religiosi*» perpenso atque dijudicato, veram et genuinam poësis notionem explicat. Hac operis prima parte conatur criticus aliquantulum lucis immittere in tantam rerum et cogitatorum confusionem qua plurimi animi mentesque hominum, vera poësis natura subversa et obscurata, quodam ut ita dicam non tantum «*sexualismo poëtico*» verum etiam quodam «*materialismo poëtico*» laborant.

In altera parte auctor studio poësis Jean Aristeguieta penitus et acute vacat, adeo ut ex intenta amoenissimorum horum commentariorum lectione inferri atque colligi facile possit clarissimam poëtriam Jean Aristeguieta praeditam esse miro ingenio et facultate vividissima exprimendi sensus et cogitata religiosa ope cujusdam intimae communionis et consuetudinis cum anima rerum et ope cujusdam divinae earundem rerum consecrationis, ut hodierni sermonis imaginibus utar.

Jean Aristeguieta non tantum in provincia poësis Venetiolanae sed inter primos etiam Americae Latinae poëtas quasi fulgidissima stella lucet. Opera ejus laudem interpretationis Gallicae merita sunt; poëta enim Gallicus G. Bourgeois nuper poëmata quae «*Pasión por Grecia*» inscribuntur quaeque classici cultus et formarum poëtriam studiosissimam praebent, in suum vernaculum sermonem reddidit.

Poëmata J. Aristeguieta — sagaci acumine critico P. A. M. Sarmiento nobis revelata et illustrata — aptissima sunt ad animos juvenum qui lingua Hispanica loquuntur in sublimitate religiose sublevandos.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

W. BRANDENSTEIN. — *Griechische Sprachwissenschaft. I. Einleitung, Lautsystem, Etymologie*. Sammlung Goeschen, Walter de Gruyter, Berlin, 1954.

Facile ex ipsa operis inscriptione detegitur consilium quo liber scriptus est: de scientia nempe et arte linguae Graecae hoc primum volumen est, in quo introductio, sonorum systema et etymologia adhibetur a praeclaro viro W. Brandenstein, in Universitate Grazer Professor.

Tres inde operis partes discernas. In prima (pp. 5-67) agitur de radicibus linguae Graecae, de concordia Graecarum familiarum, de «alphabeti» et signorum vi. In altera (pp. 68-114) fuse atque scite sonorum Graecorum systema exponitur et declaratur. In tertia denique (pp. 115-157) quidquid ad etymologiae artem spectat linguae Graecae traditur.

Breviationum et signorum conspectus opusculo praestitit (p. 4); quod quidem claudit index librorum qui consuli possunt (p. 159) et picta tabula de Graecis dialectis (p. 160). Liber, quamquam mole parvus, omnino dignus qui ab scholasticis peritisque litterarum Graecarum in usu habeatur.

HOFFMANN · DEBRUNNER. — *Geschichte der griechischen Sprache*. I. Bis zum Ausgang der classischen Zeit.

ALBERT DEBRUNNER — II. *Grundfragen und Grundzuege des nachklassischen Griechisch*. Sammlung Goeschen, Walter de Gruyter, Berlin.

En tibi duo, molis quidem parvae, magni vero momenti, opuscula de historia linguae Graecae. Alterum, a claro viro Hoffmann exaratum, est historia linguae Graecae — nunc tertio edita et recognita a Dre. A. Debrunner — ; alterum vero ab hoc praeclaro scriptore prorsus exaratum.

In duas partes primum volumen dispertitur: Pristinum tempus linguae Graecae et tempus classicum. Ibi scite agitur de fontibus (pp. 5-8); de occupatione insulae Balcicae a lingua Graeca (pp. 9-19); de Iontis eorumque lingua (pp. 39-46); de Illyriis, Thraciis, Macedonibus (pp. 47-51). Hic vero de natura novae periodi linguae Graecae (pp. 52-152). Praecipua

quidem traduntur de lingua vulgari, culta, litteraria; de Homero et Hesiodo; de Elegia, Epigrammate; de iambo et trochaeo; de Melo et Attica tragoedia pristinaque comoedia.

Alterum volumen, quidquid ad linguam Graecam postclassicam attinet, miro ordine atque eruditione ampla complectitur. Ibi de geographia, de sociologia, de litteris, de lexico hodierno, cet. ab scriptore scite acuteque disseritur. Paucis, dignum quidem opus est quod in bibliotheca «Sammlung Goeschen» in alumnorum et eruditorum commodum adnumeretur.

PERSIUS. — *Die Satiren des Persius*. Lateinisch und deutsch herausgegeben von Otto Seel. Ernst Heimeran Verlag. München.

Facilis omnino hujus libelli conspectus. Alternis pagellis septem Saturae Persii cum eorundem Germanica conversione, a claro viro O. Seel uno calami ductu exarata, proponuntur (pp. 6-73). Tum vita Auli Persii Flacci, e commentario Probi Valerii excerpta, cum scriptoris translatione in linguam Germanicam (pp. 74-79).

In diserta fusaque appendice agitur de historia Persii textus (pp. 80-85); de annotatione critica in Saturas (pp. 86-90); de non nullis earundem notionibus cognitu studioque dignis (pp. 91-110). Denique praeclarus scriptor quaedam pandit de vita, opere litterario et poetico linguae Latinae Persii (pp. 111-134) — Et typographia et tota libri species et forma, ut in libris, quibus «Tusculum» est insigne, perquam scita.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

AGUSTINUS. — *S. Aurelii Augustini Soliloquiorum libri duo*. Lateinisch und deutsch herausgegeben von Peter Remark. Ernst Heimeran Verlag. München.

Aliud, quod bibliotheca «Tusculum» vulgat opusculum lucide typographi arte atque interpretis scientia expressum. Textus hic Divi Augustini nobilissimus, isque notissimus quam ut illum commendemus lectoribus. Duo libri cum Germanica conversione, sibi a pagella 5 ad 191 succedunt.

Tum commentatio de vita Divi Augustini et de ejusdem opere (pp. 192-198); atque notae aliquae in textus explicationem (199-203), et bibliographia de re praecipua. Utinam, tramite citato, novae Latinitatis et Graecitatis opera a bibliotheca quam Tusculum dicunt edantur.

Dictionnaire Français-Grec. — Par un groupe de Professeurs des Lycées de Paris. Librairie A. Hatier, 8, rue d'Assas, Paris 1956.

Hoc dictionarium Gallicum-Graecum iis potissimum, idque aptius, dicatur qui in Lyceis, collegiis et Litterarum facultatibus linguae Graecae operam navare intendunt. Non nulli, itaque clarissimi, Professores, H. Berthaut vero duce, opus exararunt. Neque prolixum, neque exiguum, dictionarium medium in re locum servare omnibus facile videbitur. Ex quo libri finis commode manu quasi tangitur.

Praefatiuncula, quae libri rationem explicat, praecedit (pp. 7-8). Index sequitur breviationum (pp. 9-10). Atque inde ad paginam 809 vocabulorum series dilucide expromitur. Exstat, complementi gratia, appendix de irregularitatibus declinationum et conjugationum linguae Graecae (pp. 310-885).

Libri usus, percommodus. Scholastici, ni multum fallor, facile instrumentum linguae Graecae discendae hoc in opere habebunt. Est scilicet nova officinae librariae HATIER laus, in fovendis litteris Graecis inter antiquitatum classicarum cultores et studiosos. Faustum omen operi ominamur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

HJALMAR FRISK. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch. Lieferung 4.* Heidelberg, 1956.

ALOIS WALDE. — *Lateinisches Etymologisches Wörterbuch Register. Lieferung 4.* Zusammen gestellt von Dr. E. Berger. Carl Winter-Universitätsverlag.

Alius ad nos, isque quartus, fasciculus pervenit Dictionarii etymologici Graeci, a clario viro H. Frisk maxima sedulitate et studio maximo exarati. Incipit a vocabulo γάνα usque ad vocabulum διάζωνος (pp. 268-384). Atque, ut alios, hunc fasciculum valde aestimamus, votaue factimus ut quam primum ad ultimum perveniamus.

Pariter ex eadem officina libraria Caroli Winter extremus prodiit libellus qui verus est omnium vocum Index quae in toto lexico etymologico afferuntur. Linguae Latinae studiosi aptissimum ad manus habent instrumentum jam perfectum omnibusque commodis instructum quo perpetuo utantur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

AUGUSTO MAGNE. — *Dicionário Etimológico da Língua Latina.* Volume I, A-AP; vol. II, AQ-CAL; vol. III, CAM-CI. Ministério da Educação e Saúde, Instituto Nacional do Livro. Rio de Janeiro, 1952-1956.

Multa sunt lexica his temporibus edita quibus verborum origines sedulo perscrutantur. Hoc quod alumnis Universitatum omnibusque viris doctis P. Augustus Magne offert Dictionarium etymologicum linguae Latinae praestantissimum arbitramur maximique momenti ad Latinitatis studium perficiendum atque ad penitam linguae Lusitanae, et Hispanicae quoque, intellegentiam. Primum volumen a littera *a* ad vocem *apud* (pp. LXXXI-360) complectitur; secundum volumen a voce *aqua* ad *calyx*; tertium vero vocabula continet a voce *cama* ad *civis* (pp. VII-473).

Perplacet hoc in Dictionario etymologico linguae Latinae vocum constitutio quasi in familias, quod quidem linguae studio et usui maxime conferre fatendum est. — Derivationis linguae Latinae leges dilucide penitusque intelleguntur a diligenti lectore cui, ni fallor, in deliciis volutare hoc studii commodum instrumentum.

Unicuique volumini praet praefatiuncula una cum copiosissima notitia bibliographica (pp. XI-LXXXI), ex qua efficitur clarum scriptorem plurima consuluisse opera quae de vocabulorum origine agunt, singulasque voces diu multumque secum expendisse prius quam veram originem detegit multasque alias voces consideravit — et antiquarum et nostrae aetatis linguarum — quae quandam inter se connectionem seu relationem habent.

Scriptorum, locorum, commentariorum copia et aliorum sententiae quae toto voluminum cursu commemorantur adeo saepe crescunt ut quae sub singulis vocibus tractan-

tur veram dicamus cujusque nominis dissertationem seu quasi monographiam (consule quae sub vocibus *ager, agmen, ago, ad, aedes, aër, aes, aequus...* ubi de lingua Latina, de Lusitana deque aliis multa ac praecipua disputantur quaeque viam sternunt ad alia investiganda aut cum aliis conferenda).

Post Dictionarii cursum, «additamenta» quaedam inventes, quibus opus perpolitur; sunt etiam «corrigenda», si quando id, auctoris iudicio, opus erit. Rite ornatur completurque unum quodque volumen alphabetico indice verborum linguae Lusitanae.

Utinam cito citius nova volumina in lucem edantur, quibus et nos plenam vocabulorum scientiam hauriamus doctisque viris semper ad manus adsit aptissimum instrumentum ad linguas Latinam et Lusitanam investigandas.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

HENRY BARDON. — *La Littérature latine inconnue*. Tome II: L'Époque impériale. Paris, Librairie C. Klincksieck, 1956.

Quasi quoddam dictionarium mihi visum est hoc opus scriptorum Latinorum quorum fere mille nomina in libri cursu referuntur. Hinc sedulitas atque studium clarissimi Professoris H. Bardon jam liquido patet. Non omni autem palato fortasse placidus hic liber: gratus quidem illi, cujus sit res abdita Latinitatis exquirere.

In sex capita opus dividitur. Duo priora capita primam libri partem constituunt quae est de tempore Augusti. Hinc poetae scriptores, inde qui soluta usi sunt oratione considerantur (pp. 11-120). Caput tertium et quartum alteram efficiunt partem, quae a Tiberio ad Septimum Severum decurrit (pp. 123-241). Tertia denique pars alia duo capita complectitur, quae a Severis ad Theodosium (pp. 245-297); atque de fine litterarum ante Ch. n. agit (pp. 299-315).

His autem litterarum Latinarum temporibus, maxima fontium mole scriptorumque notitia non parva, clarus vir H. Bardon quasi revocare intendit cum opera tum auctores, qui fere nulla in historia liquere vestigia. Lucubratio scilicet est quasi «reconstructio» litterarum Latinarum.

In postremis operis pagellis, in qua est «Conclusio», praecipuae deteguntur causae seu explicationes hujus modi «occasus» in litteris Latinis (pp. 317-321). Index auctorum, qui in libro considerantur, vere completus: patientiae labor. Librum aestimamus, in re disceptata, in posterum praecipue recolendum scriptoribusque memorandum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

DÉMOSTHÈNE. — *L'homme et l'oeuvre*. Georges Mathieu, Professeur à la Sorbonne. Boivin, Paris.

Quartum hoc et vicesimum in bibliotheca «Le livre de l'Étudiant» volumen, a claro Professore G. Mathieu rite est concinnatum. Haud multis quidem pagellis cum personatum opus litterarium principis oratorum Graecorum, Demosthenis, explicare intendit.

Primo capite (pp. 16-24) de ejus origine atque adolescentia agitur; altero (pp. 16-24) de Demosthene ut logographo; tertio (pp. 25-39) ejusdem initia politica enucleantur; quarto (pp. 40-79) de tempore tertii belli sacri fusius ab scriptore disseritur; quinto (pp. 80-119) capite non nulla de oratione «Super Pace» de postremoque bello adversus Philippum invenies.

Sextum caput (pp. 120-138) est de principatu in Macedonia. Septimum (pp. 139-159) de Oratoris adversa fortuna et exilio. Octavum (pp. 160-163) de regressu atque morte. Nonum vero (164-184) «Demosthenis personam» accurate detegit legenti: de ejusdem arte politica, de stilo oratorio, de memoria cursu temporum, Demosthenis. Bibliographia tandem (pp. 185-188) et selecta et ampla. In eadem breviter de Demosthenico textu, de pristinis textibus ad Demosthenem spectantibus, de studiis aetatis nostrae. Opus certe «Collectionem», a praeclaro PAUL HAZARD constitutam, ornat atque decorat.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

VIRGILIO BEJARANO · MARTÍN S. RUIPÉREZ. — *Latín Segundo*. — Tercer curso de Bachillerato, Ediciones Anaya. Salamanca.

De nova agitur via paedagogica «Textuum», quae Baccalaureato, Scholis commer-

cii, Seminariis, Magisterio inservire —ratione hodierna atque facili, juxta «Quaestionaria» vigentia—, valeant. Ea scilicet mens et propositum «Editionum Anaya» in ea serie librorum quos pro alumnis parat.

Hoc vero opus alter est «cursus Grammaticae Latinae», a praeclaris Praeceptoribus exaratus, quem et tertium ut complementum Insequetur. Quinque et triginta Lectiones Latinae sunt velut hujus libri nucleus, quae apprime ascendunt gradatim a primoribus linguae Latinae notionibus ad superiores.

Quinque et triginta ibi Textus Latini, qui multicolorem thematum et scriptorum selectionem, discipulorum menti vivide infigunt. Commentarium textui consentaneum, et grammaticale et logicum consequitur. Tum breviter exercitia Latinitatis. Clauditur autem una quaeque Lectio Latina narratione Hispanica, quam lectori, pedetentim sciteque de rebus et gestis antiquitatis disserentem quasi tabulam pictam dicas.

Grammaticae regulae non nisi, prout res fert, alumno traduntur. In libri appendice paradigmata, uno tamquam conspectu adsunt, de declinationum singularitate numeralibus, verbis irregularibus et adverbis loci. Quattuor etiam chartae geographicae: Graecia, Italia, Imperium Romanum, Hispania. Index de grammatica totum opus rite complet. Magnam huic rationi litteras Latinas docendi efficientiam ominari haud quidem ambigimus; ideoque maximo opere lectoribus commendamus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

MOREAU. — *Chateaubriand: L'Homme et L'Oeuvre*. Hatier - Boivin, 8 rue d'Assas, Paris. 1956.

In nobili bibliotheca «Connaissance des Lettres» hic liber sextum et quadragesimum obtinet locum estque a claro Professore Sorbonensi P. Moreau exaratus. Octo capitibus et personam et opus clarissimi scriptoris Chateaubriand liber complectitur. Hac nempe ratione: I. Britannia et America (pp. 3-23). II. Emigratio et Imperium (pp. 24-57). III. Restauratio et abdicatio (pp. 58-86). IV. Amores, amicitiae, odia (pp. 77-108). V. De re politica (pp. 109-138). VI. De religione (pp. 139-172). VII. Dotes poeticae (pp. 173-197). VIII. Post mortem (pp. 198-202). Nota dentque biblio-

graphica, de textibus et testimoniis atque de studiis apte libellus clauditur (pp. 203-206)

ALQUIÉ — *Descartes: L'Homme et l'Oeuvre*. Hatier-Boivin, 8, rue d'Assas, Paris. 1956.

Alium ejusdem bibliothecae «Connaissance des Lettres» librum lectoribus offerre juvat, qui est de persona et opere Cartesiano; illum Professor in universitate Sorbonnae F. Alquié sedula cura et impenso studio conscripsit, hoc nempe consilio: Introductio de Ordine Cartesiano (pp. 5-13). I. Collegium, priora scripta, conceptio scientiae universalis atque Methodi conceptus (pp. 15-36). II. Opus scientificum (pp. 37-68). III. De re Metaphysica (pp. 69-115). IV. De mathesi, de mundo, de homine (pp. 116-142). V. Anni posteriores, doctrina de libertate, de passionibus, scientia moralis et litterae humaniores — seu «humanismus» — Cartesii (pp. 143-167). Sequitur notula de Cartesianismo saeculo XVII (pp. 168-170) ac de re bibliographia (pp. 171-174).

OROZCO DÍAZ. — *Góngora*. Introducción al estudio de los Clásicos. «Clásicos Labor». Editorial Labor.

Haec classicorum scriptorum collectio quam LABOR officina edit est quasi quaedam moderatrix et norma in legendis praecipuis antiquitatis et aetatis nostrae classicis. Hoc vero volumine lepida continentur de scriptore Góngora, a claro Professore in Universitate Granatensi A.E. Orozco Díaz exarata, lucubratio.

In praefatione (pp. 5-7) non nulla de operis via et ratione praenotantur quibus propositum auctoris in libro conscribendo indicatur. His vero capitibus res tota distribuitur: I. Ad «Gongorismum» introductio (pp. 11-24). II. Biographia (pp. 25-76). III. Psychologia et «thematata» (pp. 77-117). IV. Technica et lingua poetica (pp. 118-145). V. Editiones (pp. 146-153). VI. Auctoritas momentumque in posteros; et critica (pp. 154-174). VII. Opus (pp. 175-206).

Liber tandem coronatur selecta quadam anthologia (pp. 207-339), cui nota praebet de hac selectione. Totis quidem viribus dilaudanda domus LABOR ejusque impensa opera in evulgandis, idque ratione perpulcra, scriptoribus, qui maxime de humanioribus litteris meruere, tota in provincia omnium temporum locorumque litteraria.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARIJ

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN III — (FASC. I) — N. 9

M. MARTIO

A. MCMLVII

LINGUAM DISCITO LINGUA

Huc usque monui te adulescens, ut scriptores legeres die noctuque, dixique tibi —fortasse usque ad fastidium—: «Visne latine scire? —Lege». Et quidem non mihi temperavi quin hic te lectorem efficerem moneremque serio quid tibi faciendum esset, si linguam Latinam brevi et ad unguem discere velles. Quod quidem consilium credo jam a te auditum et in exitum perductum iri.

Nunc vero jam aliud tibi monitum do, quod tamen re ipsa plus minus idem docet, aliis tamen verbis: *Linguam discito lingua*. Id est, grammaticam non solum in ipsa grammatica disce, sed etiam in scriptoribus ipsis. Quae enim praecepta docent, quas tu regulas imbibis, et in memoriam revocas, discas oportet in optimis Latinitatis auctoribus, quas in usum vel proprie vel eleganter deduxerunt. Itaque in superioribus fasciculis de lectione veterum generaliter egi. Et ita diserui hac de re, ut jam minime mirum tibi sit, tantum poni in ejusmodi lectionis studio, ut eo veluti cardine versetur scientia tota linguae Latinae. Deinceps vero, de alia re paucis agam, nimirum de «optima legendi ratione». Paris erit, ut spero, et utilitatis et voluptatis de hoc argumento fusius habere sermonem.


In Avennionensi conventu, ut bene nosti, actum est de viventi lingua Latina. Jam vero, mea quidem sententia, ut sermo Romanus nostris hisce temporibus vividus esse possit, antea necesse est ut Latinitatis auctores familiares nobis sint, iisque utamur quam maxime in schola, in domo, in via et quoad ejus fieri possit, ubique et semper. Linguam ergo discito lingua. Haec est compendiaria via, nisi fallor, ut sermo Latinus quam primum apud nos vivus esse videatur.

Ad proximum numerum.

LEO M.^a SANSEGUNDO

Puella pulcra et puella foeda

In parva casa olim mulier cum filiis duabus habitavit. Altera puella pulchra, altera foeda fuit. Puella pulchra saepe laborem durum laborabat, filia autem foeda pigra erat. Quondam puella bona in ripa rivi instrumento



laborabat. Subito instrumentum in rivum itavit. Puella verba mala matris et sororis valde reformidavit et in rivum saltavit. Cum puella in aqua esset, pinos et fagos et abietes spectavit in horto plaecaro. Tum in malo multa mala spectavit. Mala cuncta imploraverunt: «Libera nos». Puella cara mala e ramis liberavit. Subito in prato casam spectavit. Ante portam femina antiqua et amica vocavit: «Puella cara, si casam meam servabis, magna merces tibi

erit!». Et puella lectos feminae turbavit et tum pueri et puellae in terra laeti fuerunt. Sed mox puella matrem et sororem desideravit. Ita femina amica puellae portam monstravit. Puella feminam salutavit. Tum per portam itavit. Subito aurum et argentum vestimentum puellae occupaverunt. Femina vocavit: «Merces laboris in tecto meo est». Cum puella in tecto matris esset, cuncta narravit. Mater mala filiae foedae appellavit: «Etiam tu, mea filia pulchra, itato ad feminam. Nam opto, ut etiam tu auro et argento occuperis». Ita puella mala et pigra ad feminam festinavit. Sed non aurum et argentum, sed pix puellam occupavit, nam puella semper pigra fuit.



Monaci, in Gymnasio femenino.

KARIN HUBER
(puella 10 annorum)

—Esto et tu, puella, pulchra et bona, tuamque magistram, Gertrudem Auer, quae vos tanta sollertia docet, meo nomine iterum salutabis.

DE MORTE CURIONIS

Quodam die mors Curioni —seu paroco— ad focum sedenti apparuit. Curio caelo albente rus it aliquantisper deambulatum.

Post semihoram domum rediit atque in sella ad focum sedit. Paulo post senex quempiam pulsare posticum audivit. Surrexit Curio et iter in posticum tetendit et januam reseravit. Subito vir procerus et ater apparuit qui nigro induebatur vestimento quod et maxime splendebat. Hospes Curionem salutavit et rauca voce interrogavit: «Quod nomen est tibi?» —«Curionem me nominant, quare meum rogas nomen?».

—Quia ut quemdam vocarem, Deus me misit ac nominis ejus nunc immemor sum.

—Quod igitur nomen est tibi? —Tunc hospes: «Mors, inquit, mihi est nomen».

Curio cum hoc verbum audisset, pavore commotus est. Mors iterum ab eo quaesivit. —Aliquis est qui in morbum inciderit in tua curia (seu parocia) et graviter aegrotet?... Curio incertus erat quid responderet? Secum cogitavit diu et voce dubitanti: —Nescio, inquit, an aliquis graviter aegrotet; tantum vetula illa Elisabeth morbo laborat, sed non graviter aegrotat.

—Eam quoque invisi, sed jam ex morbo convaluit.

—Nullus est praeter hanc in curia mea aegrotus. Uterque siluit; hora nona proxime instabat. Mors ut sederet Curionem invitavit, quae etiam consedit et cogitare coepit.

Curio denique, impatiens morae atque intermissarum memor precum: Ignosce mihi, o bona; canonicas perficiam horas oportet.

—Multumne temporis insumes?

—Nequaquam; solum modo Completorium mihi deest.

Dum mors, quae cum gemitu consedit in scamno, exspectat, Curio tres psalmos et hymnum recitare coepit: *In manus tuas, Domine, commendo...; Nunc dimittis servum tuum...* Mors in horologium oculos convertit quod duo temporis minuta ante horam nonam signabat.

—Domine: —dixit mors Curioni—. Hic vero manu ut sileret significavit, et placide finivit: *Carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.* Subito horologium personuit et hora nona audita est. Mors celeriter surrexit. —Jam nominis sum memor; tu ipse est rapiendus. Et accedens Curionem tetigit leviter, qui caput in pectus declinavit. Sic Curio ille et diem et vitam finivit.


ANGELUS SANZ - J. JIMÉNEZ

e V Latinitatis anno

Barbastrì.

Quam narrationem magister, scholam Latinitatis faciens, alumnis legerat, hanc deinde et ipsi suo modo conscripserunt.

THEODOSIUS





POSTEA CUM MEDIOLANUM PETERET ET AD SACRAM AEDEM ACCEDERET, AMBROSIVS EPISCOPVS, PONTIFICIS VESTIBVS INDVTVS, ILLVM AB INGRESSV PROHIBVIT

INNOCENTIVM SANGVINE ES POLLVTVS; AD SACRA NON ACCEDES

3

TVNC IMPERATOR GENVFLEXVS

DAVID QVQVE PEC CAVIT

QVI SECVTVS ES ERRANTEM, SEQVERE POENITENTEM

4

QVARE THEODOSIVS PVBLICAM SIBI IMPOSITAM POENITENTIAM DEMISSO ANIMO EGIT.

5

POSTEA AB HOMINVM FREQUENTIA ALIQVO TEMPORIS SPATIO SEGREGATVS VIXIT. CVM AUTEM POENITENTIA SE MUNDATVM CREDIT AD TEMPLEV ACCESSIT ATQVE AB AMBROSIO EPISCOPO

BENIGNE EST RECEPTVS AB EQVQVE SACRO REFECTVS CORPVRE CHRISTI.

AMBROSII EPISCOPI FORTITVDINEM ANIMI DEMIRARE ET IMPERATORIS HUMILITATEM. AB IRA TE SEMPER CONTINE.

MISCENTES UTILE DULCI...

1. ANTIQUI GENTIUM MORES

Veteres *Romani* eos, qui in vinum se ingurgitabant, adeo exosos habuerunt, ut a Senatu et publicis officiis velut indignos removerent. Hinc usque ad trigesimum annum viris vini usus non concedebatur; feminis vero omnino ignotus erat.

Apud *Cretenses* populos singuli plures habent uxores. Cum autem vir moritur, oritur certamen inter illas, quae ardentius amarit viventem: in quo quae vicerit, ad mortui tumulum exornata ducitur, et a propinquis mactata cum viro humatur.

Athenienses ante iudicantium consessum mactabant porcellum, ejusque sanguine sedilia iudicantium aspergebant, ut scirent innocentium sanguine se aspersum iri, si innocentem funderent.

Parthi liberis suis non ante praebebant victum, quam cursus jaculandique certamine suspecto, sudore a frontibus defluente, fessi permaduissent.

2. SAPIENTIUM DICTA

Cuidam cupienti ire ad Olympia, sed itineris labore deterrito, dixit Socrates: «Cum domi saepenumero totum prope diem ambules ante prandium et rursus ante cenam, si domesticas ambulationes proferas ad quinque sexve dies, facile pervenies Olympiam». — Docuit vir ingeniosus, id quod terret in adeundis laboribus, rerum cogitationem esse potius quam ipsum laborem. Si quid, honestae rei gratia, periculi aut laboris suscipiendum est, excusamus, horremus, cum saepe ultro in rebus nihili plus impendamus. Ita quidam invitati ad studia litterarum, excusant valetudinem, insomnium, impendia librorum, cum interim totam noctem ludant alea, potatione fortasse contrahant febrim.

3. SENIUM CONSILIA


Sapere proprium est hominis, qui Sapientis Dei imago est. Ergo cura ut sapias. In primis, quicquid agis — et semper agis —, prospice finem: et ad finem dispice media, datisque mediis, utendi discere modos accuratos, ne una cum mediis tuis frustra sis. Aliis verbis:

—Quicquid bonum esse intellegis, ad illud veluti propositum tuum collinea.

—Quicquid ad assequendum propositum tuum conferre vides, id prehendere, tene, urge.

—Quicquid urges, ne frustra urgeas, summa circumspectione cave.

PAEDAGOGUS



4. — SCALAE SUBLIMES

1	id temporis
6 - 15	lis
7 - 10	orte
5 - 8	laboribus
12 - 14	mundi
2 - 4 - 4	perquam
9 - 15	concede
11 - 16	oseis

Si quae verba proponuntur in alia mutaveris ejusdem significationis, earumque syllabas per numeros apte diviseris, verba leges quibus vitam tuam recte informare poteris.


Celsoanae.

AEMILIUS PABLO, C. M. F.

5. — GARRULA MULIER

Quidam homines, ut se vindicare ab incommoda et molesta femina, adductum coram ea quendam, dixerunt esse valde conspicuum et virum disertum in genere dicendi. Cum praeclarum virum vidisset, garrula mulier maxima fuit animi laetitia affecta et cum sermone cum illo miscere exoptaret, plurimas fecit ei interrogationes; sed ille nullum responsum dabat. Post sermocinationem feminam interrogaverunt: Placuitne tibi homo iste? — Magnopere perplacuit. Quod cum audissent a risu se temperare non potuerunt; mutus enim erat homo ille tanto praeditus ingenio.

J. CAMARERO



6. — Salve, o bone. Jam diu te convenire cupiebam. Res maximi momenti nobis est solvenda; de 1.000 (mille) pesetis agitur.

— Sed, herus in Argentynam heri est profectus.

— Ad solvendas hasce pesetas adventebam.

— Oh! nunc commodum iterum rediit...

SOLUTIONES (Cfr. PALAESTRA LATINA, a. 1956, Fasc. IV, p. 255-6)

SCALAE SUBLIMES: 1 - 2 - 3 - 4 - 5 - 6 - 7 - 8 9 - 10 - 11 - 12 - 13 - 14 - 15 - 16
 Do - mi ne, - fac - ut - vi - de - am. Si - vis - po - tes - me - mun - da - re
 1 - 12 do - tes 9 - 3 si ne 10 vis 13 - 7 - 16 me - de - re 4 fac
 5 ut 15 - 6 da - vi 14 - 1 mun - do 8 am 11 - 2 po - mi

AD SALTUM EQUI: Jurare ne consuescas. Qui facile in seriis jurat, in jociis jurabit; qui in jociis et in mendacio.

CRUCIGRAMMA. — In transversum: a) Maria. Fari. b) Adederemus. c) Damus. Regi. d) Emus. Sed. e) Fas. Si. f) As. Sidus. S. g) C. Euenos. h) Effultorum. j) Ral. Iessae. i) Exosi. E. Eo. — Ad perpendicularum: 1) Madefacere. 2. Adamas. Fax. 3) Remus. Flo. 4) Idus. Seu. S. 5) Aes. Iulii. 6) R. Nete. 7) Fer. Unose. 8) Ames. Sors. 9) Reges. Suae. 10) Isidis. Meo.

PICTURAE SIC IN VERBA CONVERTUNTUR:

IN - A - NI - TER. POST - E - A. IN - FLAMMA - RE



1. — ABACUS VENEFICUS

					1	2	3
4	5		6	7	8		9
10	11	12	13		14	15	16
17	18	19	20	21		22	23
24	25		26	27	28	29	30
31	32		33	34	35	36	37
	38	39	40		41	42	43
44	45	46					

Ebrius 28 44 13 29 14 42 26 35 4 39
 Sarmatae 31 2 23 18 24 5 46 40 20 6
 Herculis ag-
 nomen 7 34 16 31 43 10 37
 Quietus 1 9 45 27 11 17 33
 Posse 22 15 36 3 12
 Manducare 21 25 32 37 38
 Vadit 16 8

Celsoae. OLEGARIUS HERREROS

2. — BAETICORUM SALES...

Britannus: In Anglia adeo alget ut mare a nocte usque ad mane congeletur.

Gallus: In Gallia cum quis vinum bibit, dum ori poculum admovet, conglaciat.

Baeticus: Quid istud mirum! Ubi comoror quaedam capra saltum dedit et in aëre congelata est.

Britannus: O bone, ecquid de gravitatis lege, qua omnia feruntur?

Baeticus: Conglactavit quoque...

B. FORCANO

3. — Quidam Sacerdos, ex puertis ris christianissimae domus, quam adierat, quaesivit: Quis fecit caelum et terram?

Haud difficile responsum: «Deus, Dominus noster». Et daemonium? «Deus eum angelum, ipse vero se fecit daemonium».

FRANCISCUS PUJOL, C. M. F.




4. — AD SALTUM EQUI

PRIN	CON	PA	TA	PER	LU
RA	SE	LON	VA	NA	OBS
GAS	CI	ME	CUM	E	LA
RO	TUR		MO	IS	CI
	RAS	PI	DI	MA	RE

Celsoae. XAVERIUS PERNA

5. — Viator quidam iter faciebat. Cum nigram vidisset gallinam secum cogitavit: «Profecto ejus gallus perit».

JOSEPHUS E. GIRONÉS



6. — PICTURAS, PUER, IN VERBA CONVERTE, ET LEGE

Misit
 J. BERUETE
 adulescens

Procuratores Palaestrae Latinae

quos ad solvendum annum pretium cives exterarum
nationum facilius adire poterunt.

- In Anglia:** R. P. Angelus de Urrutia, C. M. F., Highcliffe Castle, Christchurch. HANTS.
- In Argentina:** R. P. Raimundus Sarmiento, C. M. F., Constitución, 1077. BUENOS AIRES.
- In Brasilia:** R. P. Isidorus Balsells, C. M. F., «Ave Maria» Ltda. Caixa Postal 615. SAO PAULO.
- In Canadia:** Periodica, 5090 Ave. Papineau, MONTREAL - 34.
- In Columbia:** P. Moderator, «Gymnasium», Colegio de Misioneros, BOSA (Cundinamarca)
- In Republica Cubana:** R. P. Josephus Bona, C. M. F., Cerro, 1708. LA HABANA.
- In Chilia:** R. P. Aloisius Tapia, C. M. F., Gran Avenida, 4160, Correo San Miguel, Cas. 7. SANTIAGO DE CHILE.
- In Foederatis Americae Civitatibus:** Patricius McPolin, St. Jude Seminary, North Dixie Highway, MOMENCE (Illinois).
- In Gallia:** R. P. Felix Alba, Séminaire des Missionnaires Clarétains, Le Hutreau. SAINTES-GEMMES-SUR-LOIRE (M & L).
- In Germania, Austria, Batavia, Helvetia:** R. P. Josephus García, Claretinerseminar, Mergentheimerstr. 60, a. WÜRZBURG.
- In Italia:** Dr. Carolus Guarnero, Via Nicola Fabrizi, 5. TCRINO.
- In Lusitania:** R. P. Joachim Guilherme de Matos, Rua Nova do Almada, 95, 4.º LISBOA.
- In Insulis Philippinis:** R. P. Isidorus García, Catholic Church. LAMITAN (Basilán).
- In Mexico:** R. P. Josephus Alvarez, Gabriel Mancera, 415. MEXICO 12, D. F.
- In Peruvia:** P. Superior, Colegio Claretiano, Independencia, 1301. MAGDALENA DEL MAR.
- In Iruquaria et Paraquaria:** R. P. Paulinus Tejedor, C. M. F., Inca 2060. MONTEVIDEO.
- In Venetiola:** R. P. Jesus Abad, C. M. F., Villa Claret. DOS CAMINOS (Caracas).

PRETIUM IN SINGULIS NATIONIBUS SOLVENDUM	PALAESTRA LATINA	In Hispania	50 ptarum.
		In Gallia	700 fr.
		In Germania	7 DM.
		In Italia	1000 lib.
		In Anglia	10 shil.
		In Foederatis Americae Civitatibus	2 doll.
		In Brasilia	125 cruc. bras

Palaestra Adulescentium: In Hispania, 15 ptarum.; Extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur ad Procuratores

Corpus Scriptorum Paravianum

in Aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Augustae Turinorum

Corpus Scriptorum Latinorum apparatu critico instructum, Aloisio Castiglioni, in Universitate Mediolanensi doctore, moderante, editum. Scriptorum textus ab eruditissimis viris sunt recogniti.

Index librorum qui **Corpore Paraviano** continentur:

- S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi**, *De Virginitate*, liber unus. — Edidit E. CAZZANIGA, in Universitate Mediolanensi doctor.
- S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi**, *De Virginitate*, libri tres. — Edidit E. CAZZANIGA, in Universitate Mediolanensi doctor.
- Arnobii**, *Adversus nationes*, libri VII. — Recensuit C. MARCHESI, in Universitate Bononiensi doctor.
- Caesaris Augusti Imperatoris**, *Operum fragmenta*. — Tertius curis edidit H. MALCOVATI, in Universitate Ticina doctrix.
- Calpurnii et Nemesiani**, *Bucolica*. — Edidit C. GIARRATANO, olim in Universitate Pisana doctor.
- Catulli Veronensis**, *liber*. — Recognovit E. CAZZANIGA, in Universitate Mediolanensi doctor.
- Ciceronis M. Tulli**, *De re publica*, librorum sex qui supersunt. — Recensuit L. CASTIGLIONI. Testimonia adjecit I. GALBIATI, Praefectus Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensi.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum pars prior*. Libri I-VIII. — Edidit H. MORICCA.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum pars altera*. Libri IX-XVI. — Edidit H. MORICCA.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum*. Libri I-IV. — Edidit H. MORICCA.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum*. • V-VIII. id.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum*. • IX-XII. id.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad Atticum*. • XIII-XVI. id.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad familiares pars prior*. Libri I-VIII. — Edidit H. MORICCA.
- Ciceronis M. Tulli**, *Epistularum ad familiares pars altera*. Libri IX-XVI. — Edidit H. MORICCA.

Proximo fasciculo PALAESTRAE LATINAE alii accedent librorum indices.

G. B. Paravia & C. Corso Racconigi, 16
TORINO (Italia)